This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

DE VITA ET OPERIBUS

JANI LASCARIS

FACULTATI PARISIENSI THESIM PROPONEBAT

HENRICUS VAST

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

ET NUNC IN LYCÆO QUOD NUNCUPATUR, FONTANES, PROFESSOR

PARISIIS

APUD HACHETTE & Cie BIBLIOPOLAM

79, boulevard Saint-Germain, 79

1878

350

110 M

tt 55 - 63

1159.42

HARVARD UNIVERSITY
LIBRARY
AUG 1 1993

VIRO EMINENTISSIMO ET DOCTISSIMO MAGISTRO EGGER

GRATO ANIMO DEDICAVIT.

HENRICUS VAST

PRÆFATIO.

Jani Lascaris vitam nobis describendam proposuimus et quantum potuimus ad intima penetrandam; qui regiâ stirpe ortus, post deflendam patriæ cladem, Bessarione auctore in Italiam venit, Venetiis et Patavii educatus, Florentiam migravit ad Laurentium Medicem (1); vixit in aulâ regum Francorum Caroli VIII, Ludovici XII, Francisci I, non sive multis interdum peregrinationibus et in Italiâ mansionibus; postremo ad Leonem X et Clementem VII sese recepit, et mortuus est nonagesimum prope annum agens.

Errabundus sane vir et vagis Penatibus, nunquam considet, ad novas res semper tendit, eâ animi mobilitate, quæ omnes hujus ætatis viros huc illuc rapit. In humanioribus litteris omne studium, ingenium, vires usque ad extremum spiritum collocat. Nec tamen in umbratili solum vitâ versatur; multas quoque et dissimillimas legationes obit: primum apud Bajazetem, sultanum ad libros conquirendos; tum apud Mediolanenses et apud Venetos, Francorum regis nomine, ad firmandam pacem postremo apud Carolum V in Hispaniâ, ad liberandum regem Franciscum post cladem Papiensem, partes papæ Clementis agens; ita ut orator regius aut pontificalis, non paucioribus annis quam magister publicus, extiterit.

Magnopere ad promovendam doctrinam et restituendam

1. Eâ utimur orthographiâ quæ apud auctores hujus ævi in usu est.

antiquitatem enisus est; Quippe in gymnasium publicum Florentinum a Laurentio Medice adscitus, multos et illustrissimos discipulos informavit, adeo ut cum Politiano ipso æmularetur. In Galliâ, primus Græcorum, Budæum, Petrum Danesium, Carolum Stephanum totque alios docuit, qui postea magistri evasere. Inde Gallia Græcam eruditionem, Græcos poetas, oratores, philosophos, quorum vel nomen ipsum antea pene ignorabat, primum delibavit et amavit. Florentiæ bibliothecam Medicum, emptis in Asiâ et in totâ Græciâ multis operibus, continuavit et auxit. Fonte Bellaqueo Francisci I bibliothecam condidit. Romæ gymnasium illustre, Leone X auctore in Quirinali monte adolescentibus Græcis constituit, et in eo fuit ut in Galliâ Gymnasium persimile crearet, quod postea a Francisco I conditum, in totum terrarum orbem etiam nunc clarissimum innotescit.

Multo tamen etiam melius de litteris meruit quum sese apud Aldum Venetias contulit et ibi omnem doctrinam, diligentiam dies noctesque impertivit, ut pulcherrimas illas Homeri, Sphoclis, Rhetorum Græcorum editiones vel solus, vel juvante Academiâ illâ Aldinâ elaboraret, in quâ, quod ad Græcos auctores spectabat, primum locum facile obtinere videbatur.

Lascaris igitur magnum sibi nomen ac prope immortale paravit; Politiano defuncto, antequam Bembus inclaresceret, eruditionis facile princeps apparuit. Nemo cum eo, scientiâ linguæ et litterarum Græcarum, comparari potuit. Fuit jucundus Laurentio Medici et nostro litterarum patrono

Francisco regi; habuit discipulos Marcum Musurum, Christophorum Longolium, Janum Forestanum, ne dicam alios; vixit cum Leone papa X; Budæum vero et Aldum et Bembum et cæteros tunc temporis in Italiâ et Galliâ inclytos viros, ita devinctos consuetudine tenuit, ut possit verius de eo dici quod Cicero de Archiâ : « Eum non solum colebant qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam si qui forte simulabant. » Moribus præterea ita facilis, ingenio ita spectatus et probatus, ut verbum quoddam novum creatum fuerit, *Lascarizare* quod sic Budæus explicat : « in litteris quidem et eruditione *Lascarizare* est graviter eleganterque dicere; ingenio porro *Lascarizare* est mansuete et fructuosa placidaque sapere (1).

Qui fit tamen, ut Lascaris, noster quem ejus coævi inter præceptores Europæ, eodem loco atque Budæum et Erasmum (quod tamen nostro judicio immodicum est et iniquum) citabant, nunc pene totus perierit? Nempe quia nullum opus perfectum ad unguem et exquisitissimâ manu cælatum, aut novitate rei memorabile, reliquit. Orationes, epistolas, epigrammata, versiculos et commentarios multos scripsit; quæ sunt ut ait poeta :

Dicta vagis nequidquam credita ventis.

Multam et perutilem negotiis publicis operam navavit quamvis, in eam culpam, haud semel, inciderit, quà sæpius patronum commutasset et cum fortunâ vel permansisset, vel migravisset. Quæ omnia eum a bonis litteris averterunt

1. Budæi epistolæ, p. 156.

et, ut recte ait Erasmus : « Poterat Lascaris inter Ciceronianî nominis candidatos numerari, ni crebræ legationes ac rerum negotia revocassent hominem a musis (1). »

Res est magni momenti et perquam difficilis, virum qui tantâ famâ claruit et cujus prope « periere ruinæ » ad veram effigiem depingere. Periculum est ne quid illi majus tribuas; ne illum oculis et judicio amicorum et laudatorum ejus æstimare videaris; Præsertim cum breves admodum memoriæ de vitâ ejus reliquæ sint. Inter coævos vix aliam vitæ ejus descriptionem reperias quam apud Jovium (2). Posterius Papadopulus quædam addit, Hodius, Boernerus vitas paulo longiores scripserunt, sparsa hinc inde colligentes. Baylius noster et Tiraboschus vix quidquam novi afferunt.

Inde necesse fuit nobis quasi disjecta membra hujus corporis undique cogere. Nunc Budæi, Erasmi, Bembi, epistolas, nunc Aldinæ academiæ historiam et editiones, tum etiam annales et commentarios de rebus in Italiâ et in Galliâ tunc temporis gestis, alte sumus scrutati. Bibliothecarum catalogos Bandinii, Zanetti, Valentinelli, atque clarissimi viri Paulin Paris exploravimus.

Lascaris editiones apud Alopam Florentiæ bibliopolam vel apud Aldos evulgatæ, in nostrâ Parisiensi bibliothecâ cum præfationibus aut epigrammatibus et Scholiis reperiuntur. Epistolæ quædam in Budæi epistolis incertæ sunt. Epigrammata seorsim edita sunt, quemadmodum et tractatus, de veris

1. V. Erasmi ciceronianum (Erasmi opp., t. I, p. 847).
2. V. nostrum indicem bibliographicum.

Græcarum litterarum, formis atque causis apud antiquos. Duo opuscula nuper de emptione operum manuscriptorum Byzantii et in Cretâ factâ, cum amplo commentario publicata sunt. Denique bibliothecis multum et diu tum Parisiis, tum Venetiis, tum Florentiæ excussis, nobis contigit quædam satis longa opuscula Jani Lascaris reperire, quæ nusquam, ut credimus, edita, vitam ejus in quibusdam locis illustrant. Sunt Florentiæ : 1° in bibliothecâ Riccardianâ, oratio Laschareos (sic) habita in gymnatio Florentino ; 2° in bibliothecâ nationali (1), informazione ad impresa contro a Turchi data per Jano Lascari nel MDVIII. Parisiis sunt duæ orationes manuscriptæ : Iani Lascaris oratio pro Mediolanensibus ; et ejusdem oratio respondentis ad legatos Mediolanenses.

Hæc illa sunt quæ hinc inde hausimus, quædam sunt paulo obscuriora quæ latent adhuc in vitâ Lascaris. Multa tamen, quantum potuimus, explicuimus ; neque magis quidquam quærimus, quam si eum virum in suum locum restituamus: virum, qui in tantâ existimatione fuit non solum apud Budæum, Erasmum, Aldum, quos assentatores fortasse erga amicos haud immerito suspiceris ; sed quod melius est, apud Leonem X et Franciscum I, virum denique, qui totam vitam humanioribus litteris addixit, et qui inter Græcarum litterarum restitutores nomen famæ inseruit æternum.

1. Optimo et egregio magistro nostro Perrens gratias multas agere gestimus, qui operam dedit ut hæc duo opuscula, nobis ab exercitatissimo ad id viro Gherardi descripta transferrentur.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS.

I. — Lascaris opera quæ supersunt.

1° *Opuscula typis mandata.*

Iani Lascaris Rhyndaceni epigrammata. — Parisiis, 1544, in-4°.

Lascaris oratio ad Franciscum regem liberandum. Apud Belleforest, Recueil de harangues militaires, Parisiis, 1595, 2 v. in-8°.

Lascaris epistolæ ad Budæum ; quæ sunt in volumine quod inscribitur : Budæi epistolæ Græcæ per Antonium Pichonium chartensem latinæ factæ Parisiis, 1579, 1 vol. in-4°. (Eam editionem plerumque citabimus).

Lascaris epistola ad Petrum Medicem, apud Bandinium (T. II, p. 106-112) in Catalogo cod. mmss. bibliothecæ Mediceæ Laurentianæ. Florentiæ 1764-78, 8 vol. in-f°.

Duo de Lascare opuscula apud Æneam Piccolominium ; in Rivista di Filologia Torino (Lœscher), 2 vol. in-8°. A. 1873 (p. 401-423) A. 1874 (p. 150-152).

Operum a Lascare ex oriente allatorum catalogus, apud Vogel Serapeum, t. xv, p. 154 et seq. Lipsiæ, 1854, in-8°.

Joh. Lascaris Jacobo Ponceau regio archiiatro, apud Jacobi de partibus in Avicennam opus. Lugduni, 1498 f°.

Lascaris epistola ad principem italicum exstat in Bernardino Pino nova scielta di lettere (t. I, p. 165). Venetiis, 1582, in-12.

2° *Opuscula anecdota.*

J. Lascaris oratio habita in gymnasio Florentino. Florentiæ cod. mmss. bibliothecæ Riccardianæ, n° 3193.

Informazione ad impresa contro a Turchi data per Iano Lascari nel 1508. Florentiæ codex Magliabecchianus, xxv; 9; 655.

J. Lascaris oratio pro Mediolanensibus. Ejusdem oratio respondentis ad legatos Mediolanenses. Codex latinus bibliothecæ Parisiensis n° 2620 (f° 76-107).

J. Lascaris versio Polybii de castrametatione Romanorum cod. Græcus biblioth. Parisiensis, n° 6124.

3° *J. Lascaris editiones.*

Anthologia Græca Planudæ (in hoc volumine est epistola ad Petrum Medicem de litteris uncialibus.
Callimachi hymni Græce cum scholiis Græcis.
Gnomæ monostichæ cum Musæi poemate.
IV. Tragædiæ Euripidis.
} Florentiæ (apud Alopam) 1494, 4 vol. in-4°.

Apollonii Rhodii Argonautica Florentiæ (apud Alopam), 1496, in-4°,

Didymi antiquissimi auctoris interpretationes in Iliada necnon in Odyssea Venetiis, apud Aldum, 1528, in-8°.

Commentarii in VII tragœdias Sophoclis Romæ, 1518, in-4°.

J. Lascaris versionum plurima mentio exstat in opere doctissimi viri Paulin Pâris: mmss. français de la bibliothèque du roy (n°s 7140-41 et 7147-49).

II. — J. Lascaris vitæ.

P. Jovii elogia, ch. 31, Basileæ, 1577, in-f°.

Nicolaus Commenus Papadopulus historia gymnasii Patavini, t. II, p. 187, Venetiis 1726, in-f°.

Hodius (Humphredus) de Græcis illustribus linguæ Græcæ litterarumque humaniorum instauratoribus (p. 247 et seq.) Londinii 1742, in-8°.

Fred. Bœrnerus de doctis hominibus Græcis litterarum Græcarum in Italiâ instauratoribus (p. 198 et seq.) Lipsiæ 1750, in-8°.

Baylius dictionar. histor. et critic. t. II, p. 87 (editio A. 1740).

Tiraboschi storia della letteratura Italiana, t. VII, p. 1091 et seq. Mutinæ 1790, in-4°.

III. — Opera diversa de Lascare.

Erasmi Roterodami omnia opera. Basileæ, 1540, 9 vol. in-f°.
Budæi opuscula varia. Parisiis 1557, in-f°.
Bembi opera omnia. Venetiis 1729, 4 vol. in-f°.
Sadoleti opera omnia. Veronæ 1738, in-4°.
P. Jovii historiæ. Florentiæ 1550, in-f°.
Marinus Sanutus apud Muratorium, t. XXII, Mediolani 1733, in-f°.
Iriartus regiæ bibliothecæ Matritensis cod. mmss. Græci. Matriti 1769 in-f°.
Menckenius historia Politiani. Lipsiæ 1736, in-4°.
Goujet, Mém. historique sur le Collége de France, Paris 1758, in-4°.
Théod. Godefroy, Recueil sur l'histoire de Louis XII, Paris, 1615, in-4°.
Mémoire historique sur la bibliothèque du roy dans le catalogue des imprimés. Paris 1739, in-f°.
Egger, l'Hellénisme en France, Paris 1869, 2 vol. in-8°.
Ambr. Firmin-Didot, Alde Manuce et l'hellénisme à Venise. Paris, 1875, in-8°.
Rebitté Guill. Budé, Paris 1846, in-8°.
Roscoe, Vie de Laurent de Médicis, Strasbourg, an VIII, in-8°.
Roscoe, la Vie et le pontificat de Léon X, Paris, 1813, in-8°.
Audin, Vie de Léon X, Paris, 1850, in-8°.

CAPUT I.

LASCARIS ADOLESCENTIA.

Inter tot et tam claros eruditione viros qui Sæculo XV tum in Græciâ, tum in Italiâ, vel etiam apud remotissimas Europæ partes floruerunt, vix unum reperias, qui, genere, magis quam Janus Lascaris claruerit. Quippe qui, ex antiquâ illâ stirpe Lascareorum ortus sit, qui Byzantinorum imperium a Latinis deturbatum et quasi extorre, Niceæ, in orâ Asiæ maritimâ, et in conspectu fere Byzantii ipsius restituerunt. Sed Lascarei, postquam imperatores quatuor solium obtinuerunt, civilibus dissidiis a summo fastigio dejecti, Byzantii degerunt, præstantissima munia belli pacisque exercentes. Post Græciæ excidium et deflendam Byzantii captivitatem, necesse fuit illis novam patriam quærere. Theodorus, quem Jani Lascaris patrem plurimi auctores esse testantur, in Peloponnesum aufugit, secum ex tot divitiis, tantâque clade filiolum adhuc parvulum asportans (1).

Byzantiine an Rhyndaci natus sit Janus Lascaris, incertum (2) : Rhyndaci natum plurimi ex eo inducunt quod sese ipsum in multis operibus Rhyndacenum nuncu-

1. Papadopulus historia gymnasii Patavini. t. II, p. 187. — Bœrnerus de doctis hominibus græcis, p. 200.
2. Hodius op. citat. p. 247. — Bœrnerus, p. 199-200.

pat (1). Medio fere Sæculo circa annum 1445 editus vix potuit patriam liberam et immunem cognoscere, quum Turca ante portas Urbis jam prope adesset. Patrem Thedorum habuisse haud ita probatur quanquam multi in id consentiunt (2). Constantinus ille Lascaris, qui in Italiam venit et Græcâ eruditione sibi nomen fecit æternum Jani pater potius quam frater fuit (3), si qua tandem propinquitatis vincula iis interfuerunt.

Nomen Iani vel Johannis Lascari nostro juxta datur; quod Cangium, diligentem illum indagatorem in dubium adduxit, Janus ne et Johannes unus et idem vir an duo essent (4). Quam opinionem id redarguit satis, quod Lascaris se ipsum Johannem primum a Græcâ linguâ Janum vero posterius quum Romanus admodum factus esset, appellavit. Cæterum, nemini mirum videbitur quod patria,

1. Baylius op. citat. — Rhyndacus intra Hellespontum et Phrygiam vicus fuit admodum humilis, de quo apud Stephanum Byzantinum mentio incidit. Rhyndaceni cognomen vulgo Iano Lascari additur. At Bembus (Epist. pontif. L. XI, Ep. 1), ita Francisco regi scribit: « Venit ad te Joh. Lascaris Constantinopolitanus ». Inde auctoribus quibusdam in mentem venit Byzantinum forsan Lascarem esse: sed eo nomine Bembus significare tantum voluit Lascarem ex Byzantinâ familiâ oriundum fuisse.

2. Papadopulus loc. cit. — Bœrnerus id.

3. Iriartus (Regiæ bibliothecæ Matritensis cod. mss. græci, p. 291). Epistolam affert quæ ita inscribitur: Κωνσταντῖνος ὁ Λάσκαρις ἀδελφῷ τῷ Ἰωάννῃ quâ mentione fraternitas ex communi litterarum amore orta, potius quam vera consanguinitas, nobis ostendi videtur. Constantinum Hodius Jano Lascari patrem adscribit, nullo teste, nullo indicio, quod plane falsum est.

4. Joh. Lascaris..... is forte qui in francicam aulam profectus, a Ludovico XII rege legatus Venetias missus est.... nescio an idem sit cum Jano Lascari Rhyndaceno qui a Francisco I, in Franciam est evocatus ut in collegio regio..... litteras græcas edoceret (Cangius familiæ Byzantinæ; Lascaris).

pater, tempus quo natus est prænomen ipsum in dubio quodam sint, quod plerisque accidit, et viris quidem præstantissimis illius sæculi. Multis præclare gestis vel excellentissimis operibus nobilitati, ita res privatas in occulto tenuerunt, ut inde orirentur, quæ fuerit familia, quomodo vixerint et mortui sint pene ignotum sit. Multum tamen refert ei qui vitam eorum hominum scribit omnia indicia, et vel minimam æqualium mentionem in lucem proferre, ut verum, quantum res sinit appareat.

Sed sævissimus Turcarum imperator Mahumetes, Constantinopoli vi captâ, nondum otio marcebat. Classis Turcarum amplissima per totum Hellespontum et Ægeum mare vagabatur. Athenæ, Corinthus nobilissimæ quondam civitates, obsessæ, expugnatæ, in ditionem hostis venerant. Venetorum navalis exercitus cesserat loco, aufugerat, latitabat. Tota Peloponnesus vectigalis erat facta et Demetrius despota, Demetrius inquam Palæologus, extrema Græcorum spes, propriam filiam impio Christianorum inimico desponderat, vitam et antiquam gloriam pro cibariis per summum dedecus venumdare ausus. In his luctuosis et afflictis temporibus non securum satis hospitium civitatis regiæ profugis Peloponnesus præbebat. Occasionem aucupabatur Theodorus, quam nactus est tandem, quum Thomas Celsus, cum classe Venetorum Peloponnesum et Eubæam appulit. Qui Theodorum cum Jano Lascare adolescente admodum in Cretam devexit.

Erat ea tunc insula commune tot exsulum et illustrissimi cujusque Byzantini civis refugium. In eâ arce, mari undi-

que defensâ, rupibus et altissimis montium jugis horridâ miserrimi Græcorum superstites, quasi præsentem patriam reperiebant, et illam quidem longe a Turcarum metu remotam, hic quasi nova Græcia resurgebat litteris et philosophiâ insignis. Inde, quemadmodum ex equo Trojano, tot eruditi viri in Italiam migraverunt, secum linguam suam et tot egregia veterum Græcorum opera, quasi paternam hereditatem, asportantes. Inde Georgius Trapezuntius et Michael Apostolius Venetias et Romam acciti, liberalem illam Bessarionis domum assidue celebraverunt. Inde Johannes Rhosus, Georgius Zangaropulus, inde Georgius et Johannes et Manuel Gregoropuli, ex unâ familiâ litterarum triumviri, callidi librorum quæsitores, peritissimi scriptores, multos et pretiosissimos libros Bessarioni eidem descripsere et bibliothecam ejus exquisitissimo labore ditaverunt. Inde Marcus Musurus, Iani Lascaris æmulus et familiaris, inde Zacharias Calliergius et Nicolaus Blastus, qui Venetiis, Aldorum tempore, typographicam officinam constituerunt, inde Angelus Vergetius et Constantinus Palæocappas, qui in Franciam à Francisco mandati bibliothecæ regiæ præsides fuere, oriundi, Cretense nomen per totam Europam illustraverunt (1).

Neque Creta sui adeo arbitrii civitas erat; sed Venetis ab anno 1204 parebat (2). Cretenses tamen non pro sub-

1. V. Didot, op. citat. Append. p. 579, cf. nostrum opus de Bessarione, lib. V, cap. 4.

2. Ducis Cretensis quem senatus Venetorum eligebat mentio sæpenumero apud Venetæ historiæ scriptores incidit; qui anno 1463, Laurentius Maurus appellabatur (Marinus Sanutus apud Murat. t. XXII, col. 1174).

jectis, sed pro civibus, æquato jure, a Venetis colebantur, ita ut provincia et pars imperii eorum facti fuissent. Proinde erat eo tempore media quædam provincia inter Græciam et Italiam, ubi utraque lingua, uterque rituum christianorum usus in honore ex æquo erant, quæ mores, leges, utriusque gentis referebat, quæ, ut ita dicam latinum simul atque græcum redolebat.

In illâ alterâ patriâ educatus, Janus Lascaris eos adolescentiæ annos præterivit quibus futura sors et quasi totus vivendi cursus præscribitur. Qui, ex antiquis parentum divitiis et fastigio, lugendâ clade, dejectus, hanc viam sibi elegit, quâ nomen illustre posteris iterum commendare posset et redivivam Lascareorum gloriam ornare et adaugere. Tum clarissimus ille Bessario, litterarum Græcarum in Italiâ restitutor, et eruditorum virorum vere Mæcenas, primatum honoris et religionis in Cretâ, tanquam Constantinopolitanus patriarcha, obtinebat. Reverendâ istâ tutelâ utebatur, ut egregios juvenum animos indagaret et ad philosophiam et liberalia studia promoveret. Michaelem Apostolium quasi procuratorem apud Cretenses habebat, qui, grandis spei adolescentes, multis præmiis in Italiam, cardinalis nomine, pelliceret (1).

Ex his multo præstantissimus fuit Janus Lascaris : quem idem Thomas Celsus classi Venetorum præfectus, in Ita-

1. Michael Apostolius, circa eumdem amum 1463, quo ad patriarchatum Bessario est evectus, in Cretam recessit; post memorandam videlicet de Platonis et Aristotelis præstantiâ disputationem, quâ Bessario vividam Apostolii ad Theodor. Gazam responsionem acriter reprehenderat (cf. nostrum de Bessarione opus lib., V. cap. 4).

liam, Bessarione auctore deduxit (1). Nec tamen diu Venetiis mansit. Sedem studiorum Patavium habuit quod tunc temporis, inter florentissimas et eruditissimas civitates primum locum obtinebat. Ibi celebre gymnasium anno 1222 conditum, a Venetis ab initio hujus sæculi restitutum atque auctum fuerat. Id Eugenius IV, papa, bullâ et magnis privilegiis atque honoribus ornaverat. Quod quum multi adolescentes desererent, ut alio scholas quæsitum irent, senatus Venetorum vetuerat ne quis gradus, apud aliam Universitatem impetratus, vim et effectum suum Venetiis haberet.

Ibi severiores, ut ait Papadopulus, disciplinæ tradebantur ; quippe quum divina Platonis præcepta, a Gemisto Plethone in Italiam evulgata, a Cosmo Medice propagata, per Bessarionem benigne a summo pontifice accepta, et quasi civitate donata, ubique innotescerent atque docerentur, gymnasium Patavinum, tanquam fixum veteris philosophiæ columen et arx immobilis, Aristoteli hærebat, et ne minimum quidem locum novitatibus concedebat (2).

Ianus igitur Lascaris Patavii vixit cum aliis adolescentibus, Græcis præsertim et litterarum amantissimis, sumptibus magni Bessarionis qui eos, viatico dato, in Italiam vocatos, alebat, fovebat, et ad magnam spem, proposito propriæ vitæ documento, hortabatur. Patavii Laurum Quirinum Cretensem audivit, philosophiæ magistrum, cui schola non satis amplum patebat theatrum, ita ut cathedrâ

1. Papadopulus, t. II, p. 187.
2. Papadop. loc. citat. — Tiraboschus, t. VI, pars I, lib. 1, cap. 3.

in forum haud semel translatâ, expolitis verbis, vi sententiarum et eloquentiæ flumine, magnam audientium turbam sibi devinxerit et suspensam retinuerit. Sed Græcæ linguæ jam tum peritus Ianus Lascaris Latinæ omnem curam vigilias et ingenii accumen impertivit. Fuit ei discipulorum parti adscriptus, qui artibus, id est theologiæ, philosophiæ atque medicinæ studebant. Ibi Petrum Leonium celeberrimum philosophum et medicum cognovit, quem etiam astrologicarum et magicarum nugarum, æquales, non sine calumniâ, peritissimum fuisse memorant: quem postea Lascaris in Careggianâ villâ apud Laurentium Medicem reperit.

Quanquam juris scientiæ operam etiam dedit, quæ tunc in summo honore adhuc erat et omnibus iis, qui negotiis publicis operabantur omnino necessaria. Audivit doctissimum et eloquentissimum magistrum Franciscum Accoltium, quem adeo discipuli diligebant, ut per omnes urbes peregrinantem sequerentur (1). Inde linguæ Romanæ et Italicæ notitiam hausit, inde legum et philosophiæ Aristotelicæ peritiam: inde tum litterarum amantissimus, tum etiam in negotiis versatissimus evasit, ita ut in legationibus et rebus gerendis non mediocrem vitæ partem consumeret.

Sed jam mutata in pejus Italiæ facies videbatur: ubique belli civilis furor et perturbatio: et jam redivivæ litteræ in discrimen magnum adductæ periclitabantur. Mortui erant Nicolaus V, Pius papa II quibus studia excitare, bibliothecas condere eruditos viros magnis donis et indefessâ muni-

1. Papadopulus histor. gymnasii Patavini, lib. III, sect. 1 et 2.

ficentiâ fovere cordi erat. Et nunc Sixtus IV, privatâ ambitione flagrans, christianæ provinciæ quam exercebat curam aspernatus, in id omnem operam dabat, ut nepotes ditaret et imperii sui fines extenderet. Mortuus Alphonsus, cognomine Magnanimus, in cujus loco, Ferdinandus inimicos solum persequebatur et innumeris cruciatibus castigabat. Mortuus Franciscus Sfortia, qui licet rudis ipse, Cecco Simonettâ auctore Philelphum, tot que alios novarum disciplinarum magistros largitionibus adjuverat et fere Mæcenatis gloriam sibi asseruerat. Post tantas clades, Bessarion ipse vitâ cessit, cujus post mortem ingens luctus et longus animi dolor, tot juvenum, tot litteratorum virorum animos invasit, quasi nox subito fieret et aurea illa ætas resurgentium litterarum oppressa in deterius caderet (1).

Quod fuit Jano Lascari multo magis quam cæteris lugendum. Quippe qui juvenis adhuc, et vix octavum et vicesimum annum agens, nullo opere insignis patrono vel, ut potius dicam, parente orbus, quasi in deserto esset. Neque ullum a propinquis erat sperandum auxilium, qui in Creta egeni propriæ vitæ oneri, vix sufficiebant (2). Bessario, qui Venetis locupletissimam hereditatem suam, bibliothecam scilicet, reliquerat, non id caverat, ut adolescentibus studiosis diutius sumptus suppeditaret. Nec Veneti litteris magnas

1. Videre est in vitâ Bessarionis (lib. VI, cap. 3), qui fuerit gemitus Theod. Gazæ, Demetrii Castreni Michaelis Apostolii, totque aliorum qui litteris studebant et unicam spem in Bessarione posuerant.

2. Papadopulus, t. II, p. 187.

opes præbere tunc temporis poterant (1) ; qui post Eubæam captam, direptam, et omni tormentorum genere cruentatam, sævissimo bello impliciti, Turcarum vestationes et incendia longe lateque, ab Augusto sancti Marci templo pene cernebant (2). Sed terrestri victoriâ transmarinas clades pensare nitebantur et finitimis bellum inferebant quasi indefessum, quo latius ager pateret, et imperium terrestre cresceret in immensum.

In tantâ turbarum civilium procellâ quum jam nullus esset bonis studiis locus, Janus Lascaris Patavio Venetias migravit. Sed nullam illic magistri publici scholam, nullum apud patricios præceptoris privatum officium reperit. Tunc liberalissima quæque domus viris eruditis clausa; animi publicis curis distenti, et belli ardore conflagrabant. Jamque Janus Lescaris in tantam egestatem redigebatur, ut stipe precariâ victitaret. Cessit loco, aufugit ; hospitium apud unicum, eo tempore, litterarum patronum, Laurentium illum Medicem quæsivit. Venetam civitatem nullo supellectile, expeditus, omnia secum portans reliquit, quo rediturus aliquando erat, mutato apparatu, orator regius, et summis honoribus, sicuti eum decebat cumulatus (3).

1. Fuerunt quidem Patavii tria græcorúm collegia : Cyprium alterum, alterum Cottunianum, Venetum tertium. In quibus miserrimæ Græciæ alumni disciplinas, quæ, in patriâ, Turcarum jugo oppressâ, negabantur, avidissime hauriebant. Sed multo serius condita sunt post restitutam Patavinam Universitatem, sæculo XVI quum reformatores primum sunt electi (1516), Bessarione mortuo, nullum plane fuit græcorum gymnasium (Papadop. op. cit. t. I, p. 37).

2. A. 1472, Turcæ Tilaventum trajecerunt et propius etiam Venetias amnis sequentibus accesserunt.

3. Ianum Lascarem circa annos 1472-1474, Venetiis Florentiam migravisse verisimile est.

CAPUT II.

JANUS LASCARIS FLORENTIÆ APUD LAURENTIUM MEDICEM DEGIT

Non opere pretium est in opusculo nostro Laurentii, cognomine Magnifici gloriam multis laudibus prosequi. Cujus vitam Tiraboschus et Roscoe ne dicam alios, ita in lucem produxere ut vix quidquam addere poteris relictum fuerit (1). Melius erit, si paucis revocamus quis fuerit eo sæculi puncto status litterarum, quæ eruditorum virorum conditio. Jam non omnia squalore plena; antiqui scriptores Græci et Latini qui huc usque cineribus involuti, paucis innotuerant, in lucem prolati, desierant privatorum quorumdam proprium bonum esse. Itali, antiquitatis studio excitati, exulibus Græcis docentibus, miro ardore in divinam antiquæ Græciæ linguam incubuerant, et eam post multas vigilias et assiduam pertractationem, callere cæperant. Vix dici potest quo gaudio, quo impetu, vel Platonis elegantiam et poeticum colorem mirati sint, vel Aristotelem restitutum coluerint, vel Demosthenem, Virgilium, Ciceronem, Quintilianum, tot denique alios summi ingenii poetas et oratores perlegerint.

1. Tiraboschus, t. VI, lib. 1, pars 1. — Roscoe vita Laurentii Medicis passim.

Primo, quum perpauci Græcæ linguæ periti essent quum raro Græci fontes adiri possent, nec dum typographia inventa esset, Itali Græcis, tanquam præceptoribus et codicum scriptoribus, usi erant : et quicumque eruditione in Græciâ nobiles ad Italos profugerant, ab iis benevole admodum sunt excepti. Nunc vero undique erant Græcis Itali pares. Theodoro Gazæ, Johanni Argiropulo, Constantino Lascari, Platina, Campanus, Perottus non alumni, sed æmuli opponebantur.

Neque post Bessarionem exstinctum, ullus Græcorum in Italiâ degentium Angelo Politiano, Marsilio Ficino, Pico Mirandulæ æquari usquam poterat. Græcorum igitur favor paulatim decreverat; non jam Græcis peculiare erat Græcos codices manu describere, quum typographia evulgaretur; nec vertere, quum multi Itali id efficerent, cæterum scholæ, ingruente belli furore undique deserebantur; gymnasia illustrissima silebant aut claudebantur. Litteratorum potentissimi patroni sepulcro obruti erant. Quid efficiendum Græcis, in tantis temporum ærumnis reliquum erat, quum iis exsulibus plerumque et egenis, ne id quidem, nisi raro, fieri posset, ut ecclesiasticis muneribus ditarentur vel saltem vitæ subsidium aliquod haberent? Inde qui adhuc Græciâ exsules in Italiam veniebant, non jam magistri civitatum et ad summos honores evecti, sed præceptores in familiis patriciorum latuerunt; vel apud typographos, utilissimi et doctissimi *correctores*, quod principes negabant, hospitium repererunt.

Attamen patebat adhuc hospitalissima sedes, extremum

litterarum refugium, splendida Laurentii aula; quem Christophorus Landinus grammaticâ et rhetoricâ arte, Marsilius Ficinus divinâ Platonis philosophiâ, erudierant; qui Picum Mirandulam, Ludovicum Pulcium, Angelum Politianum, comites studiorum habuerat; qui villam Careggianam et Caffagiolum fundum liberalissime poetis, philosophis oratoribus, grammaticis optimo cuique aperire et ornare gloriabatur. Illic, sub tegmine fagi, vel prope rivulum dulce sonantem, disputationes de vero bono, de rerum contemplatione, de verâ felicitate habebantur. Illic « canti Carnascialeschi » aut « Canzoni a ballo » pro tempore celebrabantur. Illic medii ævi mores subrustici dulcedine novâ et flore quodam humanitatis temperabantur et mitescebant, Illic ut armorum, ita litterarum et artium ludicra exercebantur. Illic antiquorum non studia solum, sed et instituta resurgebant, et quamvis non jaceret christiana fides ad veterum exemplar, Apollo et Musæ carminibus laudabantur et prope erat ut illis, spreto veri Dei cultu, litandum esse videretur.

Quæ quum ita essent, Lascaris petere Florentiam statuit. Venetiis, quas, ut secundam patriam colebat, humili admodum apparatu, cessit. Habitavit Florentiæ, ubi neminem patronum fortunæ et nominis habebat, apud Venetorum oratorem, qui eum diligentissime Laurentio Medici tradidit. Nec longo post tempore, in gratiam et favorem Laurentii venit. Florentiæ initium fortunæ habuit; et novâ atque puriore gloriâ ornatum, nomen posteritati commendavit.

Quippe Johanne Argyropoulo Romam profecto (1), Demetrius Chalcondyles Atheniensis, in locum ejus suffectus, in illustrissimo gymnasio Florentino litteras Græcas juventutem docebat. Qui, « diligens, ut ait Jovius, grammaticus, et supra Græcorum mores, cum nihil in eo fallaciarum aut fuci notaretur, vir utique lenis et probus » (2) magnam audientium coronam sibi diu devinxit. At juvenis admodum, Angelus Politianus, qui jam omnes famâ anteibat, suâ laude caliginem Demetrii nomini obduxit ; qui in Latinis litteris claudicabat, et provinciale quiddam et Græcum sonans, Latinum sermonem deterius pronuntiabat. Victus igitur impari certamine, quum Laurentius Politiani partes acerrime susciperet, desertâ scholâ, Mediolanum ad Ludovicum Sfortiam aufugit. Politianus, interea, scholam, quasi armis partam, solus, multis annis, occupavit, litteras tum Latinas, tum Græcas pari felicitate docens, et innumero globo semper circumfusus.

Multum periclitabatur, si quis tanti viri et tam apud Laurentium gratiosi famam aggredi aut minuere tantum auderet ; et eo magis quo acrior, et ferocior, et magis vel minimæ culpationis impatiens Politianus habebatur, atque erat. Sed Janus Lascaris nomen jam sibi multis discipulis, neque, iis humillimæ conditionis adsciverat. Domus ejus erat Academia quædam multis et excellentissimi ingenii adolescentibus referta ; inter quos Marcus Musurus Cre-

1. Hodius, p. 193 et seq. — Tiraboschus, t. VI, p. 350-351. — Papiensis cardinalis epistolæ, Ep. 200 et 201.

2. P. Iovii Elogia : Demetrius Chalcondyles. — Hodius, op. cit. p. 211.

tensis numerandus est (1). Quin et doctissimæ mulieres eam frequentabant quarum Cassandra Fidelis atque imprimis Alessandra Scala Bartholomæi filia, eruditissima, ut eo tempore, linguâ tum Latinâ, tum Græcâ, quæ Marullo nupsit, frustra enitente Politiano, qui ejus amore ardebat (2).

Mox adeo crevit privati doctoris fama, ut Laurentius eum in publicum gymnasium Florentinum multis blanditiis pellexerit et maximis donis retinuerit. Non satis tamen liquet quo anno publice docere inceperit. Sed præclaram hujus orationem, annuas lectiones inchoantis habemus, quam nusquam typis editam e bibliothecæ Riccardianæ recessu produximus et accuratissime transcribendam curavimus (3). Non abs re erit eam, in partes divisam, considerare et quædam loca paulo lucidiora et sensu commotiora afferre. Lascari magni momenti res illa est. Quippe in maximo cœtu loquitur nec : « annuis solum auditoribus, sed frequentium etiam doctissimorum quorumque auribus » consulit : « Quidnam potissimum in medium afferrem quod et auditoribus utile, et vobis viris adeo eruditis non ingratum esse cognoscerem ? Hoc mihi animo revolventi, occurrit sane res, quæ in promptu esset, ut mihi quidem videtur, non inutilis, nec forte ingrata, quæque huic nostro proposito apprime congruere videtur,

1. Tum Marcus (Musurus), ut est studiosissimus tui, ac perquam gratus discipulus, nam quantum bonis litteris moribusque, profecit, (profecit autem plurimum), id omne tibi acceptum refert..... (Aldus Jano Lascari initio Sophoclis edito ad annum 1502).

2. Vide Roscoe vita Laurentii Medicis, t. II, p. 118.

3. V. codicem bibliothecæ Riccardianæ, n° 3193.

ut, qui Græca in celeberrimâ civitate vestrâ interpretamur, ad litterarum Græcarum studia fovenda atque ab interitu recipienda, majores natu cohortaremur, juniores ad hæc eadem alacri animo amplectenda, utilitate propositâ, excitaremus. »

Quid sit animo institutum non difficile est persequi. De illustratione veterum Græcorum magnificentissime tractat, usque eo, ut illos tanquam institutores totius generis humani, legum conditores, omnis cultus disciplinæ, artis inventores celebret; quod in majus augetur et in falsum manifesto cadit.

Græcorum colonias et Alexandri expeditiones verius collaudat, sed permixtis etiam fabulis quæ loquentis auctoritatem elevant. Græcorum et Romanorum consanguinitatem multis argumentis comprobat; Romam a Græcis, tum originem, tum jura, leges, litteras et humanitatem quamcumque duxisse affirmat. Nec ullum esse apud Romanos magnum virum contendit, qui Græco cuidam æmulari non tentaverit, ut quasi « Pythagoricâ metempsycosi » Theseus in Romulo, Solon in Publicolâ, Phocion in Catone Porcio revirescere videatur. « Immo sic eos omnes in omnibus secuti sunt (Romani) ut ex eâdem vitâ et similibus actionibus, plerique in eorum fortunam, quos imitarentur, inciderent.

Quæ omnia rhetoris sunt non historici. Cæterum nemini mirum videbitur, eo tempore quo sanum de rebus antiquitatis, judicium nondum adhibebatur, Græcum hominem, patriâ extorrem, apud Italos hospitio donatum, majorum

nobilitatem rhetorico magis quam vero sermone exornasse, et fabulas omnes quas veteres Græci de Romanorum origine et antiquis annalibus ingesserant retulisse. Quibus laudibus se ipsum extollere videtur ; major apparet ; nec quisquam humillimam exsulis conditionem ei vitio vertet cujus patres olim tot et tanta beneficia in totum hominum genus contulerunt : « Ut justum piumque sit, quo maxime indigent, eorum linguam et institutionem, et litteras a tenebris revocari, atque ab interitu recipi, quo minime aut a viris aut a mortuis ingratitudinis accusari possitis. Et vos præcipue, viri Florentini, quanto et genere, et linguâ, et civilitate præ cæteris Italiæ civitatibus ad antiquitatem videmini propius accessisse, ut Romanorum coloniam facile possis dignoscere, si præter alia, vel nomen ipsum civitatis adverteris (1). »

Ita ad secundam partem oratio decurrit, scilicet « ut juvenibus ostendat quantam utilitatem a linguâ Græcâ et litteris adipisci poterunt (2) si his diligentius incumbere instituerint. Porro nihil eloquentiâ, nihil disciplinis utilius, nihil magis necessarium, nihil denique melius aut divino munere concessum aut humano ingenio investigatum esse, nemo vel mediocri vir judicio, dubitaverit, si ad perficiendam animi virtutem aut per quietem ad naturæ contemplationem aut ad actionem te malis convertere. » Quæ pars minus gene-

1. Nemini ignotum est Florentiæ nomen a Sullâ datum fuisse, a Florâ, quod Romæ quasi mysticum nomen erat.

2. Istius modi peccant plerumque hujus Sæculi auctores. Nescimus tamen num hoc vitium eis qui codices transcripserunt tribuendum sit.

ralis, quasi ex medullâ rerum defluit, nec tam ad ostentationem quam ad persuasionem comparata est. Concinne dilucide de utilitate linguæ Græcæ disserit: « a Græcis auctoribus linguam ipsam tuam repetes ne picarum et psittacorum more audita proferas, ignores proprietatem et rectitudinem nominum, quid tropicum, quid figuratum, haudquaquam intelligas, nullam rationem aut μέθοδον in infinitis rerum nominibus teneas, sed ἀτόμους quodam modo persequi videare. Nam, ut dictum est, lingua Latina Græca est. Græcâ enim veteres Romani utebantur, propter vicinitatem tamen barbarorum, non adeo integrâ. » Non operæ pretium est hunc errorem refellere manifestum est hodie, et multis argumentis comprobatum utramque linguam communi stirpe ortam esse; at paulatim longo annorum decursu quum seorsim Græci et Latini vixerunt, Græcam et Latinam linguam seorsim etiam adolevisse.

Lascari tamen facile est triumphare et quasi Pæana canere, quum permultas dictiones Latinas e Græcâ linguâ depromptas vel potius utrique sermoni communes indicium affert. Nec solum μοῦσα, πηλάστρα, λύρα φιλοσοφία et pleraque disciplinarum et artium nomina argumento sunt. Accuratius etiam rem pertractat, quum ex Doricâ linguâ multa translata esse asseverat, ut φάμα κόμα; quædam per spiritus in litteram mutationem, ut ὗς sus; quædam per vocalium in vocales ut, νύξ nox; alia ad Latinam terminationem redacta, ut ἄντρον antrum, ναύτης nauta; aut per mutationem aspiratarum in medias, ut θεός Deus; aut per litterarum transpositionem quod ἀναγραμματισμόν, vocant, ut γάλα lac, μορφή forma, ἐμός meus.

Multa alia indicat, exquisitissimo judicio, et summâ cum grammatici doctrinâ. Neque tamen in verba Lascaris jurare admodum velim omnia quæcumque affert exempla citra conversiam esse. Neque mirum, si quandoque bonus dormitat Lascaris. Licebat adhuc hæc et hujus generis quædam alia dicere : bonus quasi πόνος a labore est ; fides, non quia fiat quod dictum, sed ἀπὸ τοῦ ἔιδω ; ἀρετὴ et ἐρατὴ, quod virtus desideratur, πολύχρους et pulcher, idem sunt. Sunt alia quædam istius modi in quibus vix risum teneas. Nec merito tamen ; quum hæc scientia grammatici, recens omnino. et quamvis altius a tot illustrissimis magistris provecta, tanquam in cunabulis adhuc jaceat.

Quod sequitur, nihil fere aliud est, nisi loci summâ cum jucunditate et copiâ profluentes, de litterarum et Græcorum auctorum præstantiâ, Homerum apud poetas, Pindarum apud lyricos, Demosthenem aqud oratores principem conclamat. Neque sine quâdam recordatione vel Quintiliani, vel Ciceronis, vel Taciti, quum de his immortalibus viris Græcis brevem sententiam affert, vel quum Herodotum Thucydidi, vel Platonem Aristoteli confert. Quin neminem Latinas litteras sine Græcis callere posse contendit, et Plautum a Græco fonte multa detorsisse, Ciceronem Demosthenis, Virgilium Homeri vestigiis quasi institisse : « cur igitur non Graios, nullius avaros versabunt juniores, sed morabuntur Plautos?... Permittite ut ex eisdem fontibus unde et Maro et Cicero hauserunt, ipsi quoque hauriant ; ut in eisdem fluminibus obluantur. Nulla sit invidia cur non eisdem alimentis, iisdem medullis, sub eodem Chirone, sub eodem

Phœnice educati isti quoque λόγων τε ῥητῆρες sint (1)... Et nunc, si unquam alias, et linguam Græcam et doctrinam licet assequi. Nunquam major fuit, his nostris temporibus aut instituentium, aut librorum copia ; ubique libri imprimuntur, ubique bibliothecæ aperiuntur. Adolescentes Græca pariter et Latina poterunt addiscere..... Hinc magnam utilitatem, hinc gloriam immortalem consequi poteritis. Agite, ut conferri possitis cum Atheniensibus non in minimis quibusdam, quod plurimos vestrum gloriari audiam, sed humanitate potissimum et gratitudine ac disciplinarum peritiâ, ut vestra etiam civitas instar solis, veluti olim Athenæ totam Italiam, totum orbem præcipue mentis lumine possit illuminare... In me quoque, quantum fuerit, nusquam juventuti deesse patiar. Utimini libere meâ operâ ; quidquid valeam et publice et privatim, id ipsum præstabo ingenue. » Sub fine orationis quid sibi explicandum sit exponit : « Interpretati sumus, anno superiori duos gravissimos et præstantissimos auctores, Sophoclem et Thucydidem, magnam inde utilitatem consequi potuimus ; habemus hoc anno præ manibus Epigrammata et Demosthenem ipsum. Ita, quotannis, solutum sermonem cum poesi miscet et quovis modo juvenes ad Græcorum studia hortatur, trahit, compellit. »

Diutius paulo forsan in hac oratione morati sumus, nec temere. Nihil enim huic quæstioni accommodatius reperiri potest, quam ut quæ fuerit tunc materia studiorum, quis docentium sermo, quæ publicorum magistrorum conditio

1. V. Iliadem, l. X, V. 443 μύθων τε ῥητῆρες.

ostendamus. Nihil in hac oratione ad res publicas tendit, nihil de privatis docentium jurgiis affertur; nihil ad laudationem Laurentii illius Medicis comparatur. Lascaris in magnâ frequentiâ, audientibus tum ingeniosissimis juvenibus, tum viris Græcorum curiosissimis, quæstionem maximi momenti eloquenter pertractat. Quanquam plus forsitan æquo Græcorum imitationem commendat. Periculum sit, si Lascari aurem omnino præbeas, dum Græcos sequeris, tui immemor, nihil a te ipso haurire usquam possis.

At Lascaris gloriæ Politiani obstabat : fama erat illum huic tum doctrinâ, tum facundiâ, præstare. Inde iræ; quæ in publicum odium mox eruperunt. Incidit jurgium de translatione veteris epigrammatis Pulicis de Hermaphrodito. Conspecto Politiani carmine, Lascaris, quum veneres quasdam ibi desideraret, elegantiorem manum operi admovere statuit. Uter vicerit, incertum ; uterque alteri odium et frena laxavit Politianus, bubones istos et upupas potius quam alaudas, græcos videlicet sordidissimos et circulatoria mendicabula, despicere et antecellere gloriabatur. Lascaris autem negabat laudi verti debere hoc, quidquid sit, opellæ auctori suo, annis maturo satis, qui puer olim, faventiore longe Apolline mollioribusque numeris cantaverit (1).

1. Menckenius historia Politiani (Lipsiæ 1736-4°, p. 133-134), hoc est epigramma quo æmulum Politianus acri dente momordit :

Παῖς αὐτοσχεδιώς ἐκκαιδεκάτῳ δ'ἐνιαυτῷ
Ἄγγελέ, φῆς, ἐποίουν (θᾶυμα), τοιούς δ'ἐλέγους.·
Θᾶυμα γάρ, ἀλλ' ἀνεγνοῦς Ἑλλὰς μόνος ὅσσ'ἐμόγησε
Γράμματα, πάντας ὅμως τ'Αυςονίων ὀάρους·
Θᾶυμ' ἄυ, πῶς παίδων ἑκατὸν σταδίοισιν ἄριστος
Λάκτυλον οὐ προέβης, ἀνδρός ἐν ἡλικίῃ.

Ergo major in dies concursus circa Lascarem fiebat : crescebat fama Græci illius, qui imperatoris genere fretus, in Politianum tollere caput ausus erat. Nec satis; quum Politianus magnâ celebritate interpretationem Iliados aggrederetur, et non sine magnâ ostentatione quæ de Homeri poemate ab Herodoto scripta sunt, e suggestu recitaret, quo tempore Herodoti liber, græce scriptus, nemini adhuc noscebatur, Lascaris subito ad hominem conversus et eum seducens : « dic mihi, quæso, inquit, Politiane, quo ore Herodoti opus insigne, quod ante tot sæcula conscriptum est in tanto cœtu, ut tuum, recitasti? — Cui mox subridens Politianus : nunquam, inquit, putassem, Jane, hominem Græcum, adeo ejus artificii rudem et ignarum esse, quo ad multitutinem existimatio et fama comparari solet. Quasi vero, inquit, non satis intelligam tres aut saltem fortassis quatuor vos hic adesse, quibus Herodoti libros inspicere aliquando contigerit. Sed quænam hic sit turba nobis applaudentium et in cælum laudibus ferentium vides. Apud quos, si existimationem nostram, (quod minime spero), vel tantillum lædere volueritis, oratio profecto vestra, ut gloriæ nostræ invidentium hominum non multum fidei ponderis que habitura est. » Hæc tam proterva, ita narrata sunt a Lascare Budæo, a Budæo Duareno, cujus verba Menckenius ipse citavit (1).

Mirum sit, si hæc ita fideliter nec addito, nec dempto verbo memoriæ tot scriptorum mandata sint. Quanquam

1. Menckenius, op. cit. p. 420 et 421.

multæ tunc erant adhuc docentium fraudes. Magister in scholâ, tanquam orator e rostris, vel potius actor in pulpito, minime veritatis, maxime suæ ipsius laudis curiosus, se magnificentissime efferebat. Nec semel hanc criminationem Politianus redarguere conatus est, cujus opus celeberrinum, miscellanea de Homero, a Georgio Merulâ Nicolao Perotto, a Paolo Iovio Gregorio Tiphernati, a Iano Lascare Plutarcho ipsi, tribuuntur, et Menckenius qui apologiam Angelo Politiano verbosissimam scripsit, non factis crimen refellere, sed attenuare tantum nititur; eo, quod Politianus cum Græcis æmulabatur qui certissimum, ex vernaculâ facundiâ, docendo lucrum exspectabant.

Multi tamen, neque ii minorum gentium discipuli, a Politiano ad Lascarem migraverunt, factum publice probantes. Laurentius ipse Medices, quanquam diuturnâ familiaritate a puerili ætate cum Politiano conjunctus, Lascarem acceptiorem in dies habuit. Illum privatæ Medicum bibliothecæ præfecit, quæ jam tunc pretiosissimis codicibus Indicis, Arabicis et Hebraicis, ne Græcos et Latinos commemorem, referta erat. Eam Græci patres, concilii Florentini tempore, rarissimis operibus ditaverant; in eam Ambrosius Camaldunensis Leonardus Aretinus, Nicolaus Niccolus multa nuper reperta veterum exemplaria contulerant. Ei Poggius pulverem bibliothecarum in Gallico et Germanico itinere excusserat, et optima quæque, quanti quanti, comparaverat (1).

In eam Laurentius multam impensam faciebat. Nec

1. Bandinius catal. codic. mss. t. I, præfatio, p. IX-XI.

quidquam antiquius habebat, nisi quomodo eam ditissimam et utilissimam litteris redderet. Hanc igitur bibliothecam curandam Lascari tradidit, neminem ratus unquam extiturum esse, qui codicum curam aut notitiam majorem præ se ferret. Nec id eum fefellit. Lascaris enim eum librorum etiam amantiorem fecit, et multis sermonibus hortatus est, ut plurima opera in Græciâ et per orientales regiones emeret, atque a naufragio litterarum et humanitatis in securum hospititium vindicaret. Idem fuit consilii auctor et actor. Quippe missus est in Græciam ad Bajazetem Sultanum, cum eo mandato, ut quam, vetustissimos et pretiosissimos codices, pretio quantovis colligeret. Et quo facilius difficile munus expleret, cum magnâ pecuniâ litteras et mandata ad eos ferebat, qui, Byzantii rerum a Mediceis commissarum curam gerebant.

In Græciam igitur redux, cum litteratissimorum virorum votis non sine magnâ revisendæ patriæ lætitiâ, profectus est. Verum quanta rerum mutatio! Quis undique luctus! Quam servitutem, quam Græciam, reperiebat! Non ibi solum tendebat Turca, sed imperium obtinebat triste et formidandum; et victis ne spes quidem libertatem recuperandi suppetebat. Græci tributum acerbissimum et turpissimum pendebant: pueri quotannis a complexu parentum rapti, in impiâ sævissimi tyranni aulâ, militarem disciplinam docebantur, et patriam simul ac legem christianam dediscebant, ut postea firmissimum Turcarum præsidium fierent. Sultanus, Græcorum robur et florem morte mulctabat, et duplici quidem morte, qui non corpus, sed animos

crucians, juventutem, spem videlicet patriæ, in patriam ipsam armabat (1).

Lascaris has molestias vix tolerabat; toleravit tamen ea spe, ut specie codicum colligendorum, Turcarum impiam dominationem imminueret, atque frangeret. Nempe quæ essent eorum vires, quos milites haberent, quæ tributa exigerent, quæ esset Græcorum et christianorum conditio, quis status, qui animi, diuturnâ sollicitudine, inquisivit. Inde documenta multa et argumenta congessit, ut postea Carolum VIII, Ludovicum XII, Franciscum I, reges Francorum, Leonem X, et Clementem VII, papas, Maximilianum et Carolum V imperatores, ad sacram expeditionem adversus musulmanos hortaretur et conjungeret (2). Ergo necessitati obtemperavit, hoc etiam levamen ægritudinis habens quod Bajazetes exculto, ut apud Turcas ingenio, Averrois et Aristotelis doctrinâ imbutus, non tam infensus bellator, quam litterarum et humanitatis studiosus vir apparebat.

Ianus Lascaris duo in Græciâ itinera fecit. De primo vix quidquam scimus, quum nihil scriptum ipse reliquerit, vel, si quid relictum, ad nos non pervenerit. Attamen de eo itinere ipse brevem mentionem facit (3), ut nemo dubitare

1. In eo opusculo quod inscribitur: informazione ad impresa contro a Turchi (cod. Magliabecchianus XXV, 9, 655) et in oratione ad Carolum V (de liberando Francisco rege), de miserâ conditione eorum quos janitzarios vocat querelas edit.

2. Vide duo eadem opuscula passim.

3. In epistolâ ad Demetrium Chalcondylem de quâ posterius disseremus: ἐξ ὅτου τὸ δεύτερον ἐπέβημεν τῆς Ἑλλάδος.

possit, quin illud reipsâ confecerit. Cæterum Jovius et Varillas, quibus fidem adhibere, non nisi certis argumentis, plerumque decet, quædam addunt certiore quidem testimonio. Varillas, qui secundum iter ad verum tempus refert, primum intra annos 1488 et 1490, effectum fuisse testatur, quod verisimile est (1).

Lascaris, ut Jovius memorat, Turcarum imperatorem adiit, quem sciebat optime erga Laurentium affectum, Cherseoglim veneratus est, Bajazetis filiæ conjunctum, qui quum a Christianâ religione, plane vir, discessisset, magno redeundi desiderio captus, crucifixi Servatoris imaginem in secretissimâ cubiculi parte, armorio inclusam, noctu, exclusis arbitris, adorabat (2). Ita in gratiam imperatoris et ministri progressus est, si Jovio credere licet, ut Bandinium, percussorem Juliani Medicis, qui scelus immane in sacrato templo perpetrare ausus erat, nuper in Asiam elapsum, catenis primo obrutum mox ad supplicium tradiderit (3). Hæ fuerunt legationis primitiæ, quæ animi calliditatem, loquendi peritiam, magnam rerum, vel minimæ cautionis, diligentiam ostendebant.

Neque in pejus reliqua legatio cessit. Potestatem Lascari

1. Cf. Ænea Piccolomini : Rivista di filologia (Læscher Torino Anno III, p. 152).

2. V. P. Iovii, Histor. p. 201, (Florentiæ 1550). Id addit in fidem narrationis : « hoc nos a Joh. Lascare cui ipse tanquam amicissimo eam imaginem ostendit accepimus ». — Hammer (t. IV, p. 53), hunc Cherseoglim Hersek vocat. Manifestum plane est, Lascare ipso testante, ut supra memoravimus, multos janitzarios veterem fidem et priscam conditionem magno desiderio prosecutos esse, ita, ut occasionem aucuparentur a Turcis desciscendi.

3. P. Jovius Elogia, p. 40.

fecit Bajazetes omnia et percurrendi et perscrutandi ; dedit ei satellites, ne qua illi vis in adeundo, fraus in emendo, fieret. Quanquam autem ignotum adhuc est quam viam secutus sit, certum est illum Asiam et Græciam perlustravisse, monasteriorum bibliothecas excussisse, præsertim apud Atho montem, munitissimam illam quasi veterum litterarum et Christianæ religionis, arcem. De ejus ibi permansione nulla mentio in secundo itinere invenitur. Illinc tamen uberior messis librorum et voluminum effloruit (1). Rudium et pauperum monachorum thesauros expilavit. Illum venaticum canem, ut ait Jovius, dixisses, ita odorabatur omnia et pervestigabat, ut ubique, quidquid rarum esset, aliquâ ratione inveniret atque compararet. Codices multos emit : plures futuræ emptioni obligavit. Navem pretiosissimis captivæ Græciæ exuviis oneravit et in Italiam deduxit (2).

Codicum pulchritudine mirum quantum Laurentius delectatus sit. Lascarem igitur vix tres menses Florentiæ remorari passus (3), remisit in Græciam ut cæteros, quos futuris sumptibus destinaverat libros, soluto pretio, Florentiam transferret. De secundo eo itinere multas coævorum mentio-

1. « Quas plerique horum scripserant, orationes, multis sæculis abditæ latuerunt ; latebant autem in Atho Thraciæ monte. Eas Lascaris.... in Italiam reportavit (Aldus Manutius in præfat. Orat. Græcor. 1513).

2. Papadopulus t. II, p. 187. — Plures libros hoc primo itinere Lascarem collegisse quam secundo, verisimile est. Eâ litterâ quam Petro Medici mittit, ducenta volumina a se relata esse e Græciâ memorat ; inter quæ, secundo itinere, quindecim Byzantii, in Cretâ quatuor et quadraginta, eum comparavisse pro comperto habemus. Nec tamen ullum librum tunc apud montem Atho emptum notat : forsitan quia primo itinere, omnia quæque potuerat, secum inde asportaverat.

3. Anno 1490.

nes habemus et duo magni pretii monumenta : 1° Epistolam quam Lascaris ipse Bysantio ad Demetrium Chalcondylem, decimâ die Metagitnionis mittit, quæ dies ad decimam septembris referenda est. Annus est 1491, quum Lascaris, Junio mense anni 1490 Florentiâ profectus sit ; 2° Exemplum sumptum ex libro Julii Gradonigi notarii Venetiarum (A. D. 1492 die III^a mensis aprilis), de emptione librorum in Cretâ (1).

Legatus igitur missus, cum publico diplomate (2), per Acarnaniam et Thessaliam viam fecit, non sine multo incommodo et pertinacissimis laboribus. Quippe per mediam æstatem iter continuavit longinquissimum, magna camporum spatia, obverso sole, perlustratus. Bysantium tandem pervenire gestit cum spe amicos plures ibi reperiendi. Ingens luctus Camariotæ, anno præcedente, mortui eum invadit (3) Attamen Demetrii Castreni societate fruitur, quem vere

1. Hæc duo, Florentiæ manuscripta exstant, in Archivio Mediceo antea principato (filze 93 et 81). Fuerunt ambo publicata, cum docto commentario, ab egregio viro Eneâ Piccolomini, in Rivista di Filologia (Lœscher Torino), Anno II, p. 401 et Anno III, p. 150 (1874).

2. Habemus mentionem de litteris quas ad id iter Laurentius Byzantium misit ; inter commemorationes epistolarum a Laurentio scriptarum (Archivio mediceo filz. 63 ; c. 137^b), id legitur.

A di 27 Aprile 1491 :

Al Turco
Al M° Niccolo da Sienâ
Al consolo di Pera
} *per lo Spaccio di messer Giovanni Lascari.*

3. Nescimus an Camariotes ille idem sit atque Mathæus Camariotes Constantinopolitanus presbyter philosophus et rhetor, cujus extant fragmenta epistolæ de clade Constantinopolitanâ, A. 1453 (v. nostrum de Bessarione opus, l. IV, ch. 1).

philosophum et verbis, et re, conclamat (1). Miseram summi Constantinopolitani pontificis conditionem deflet, qui prope mendicabundus, parasiti more, per totam Græciam et vicinas regiones quotannis errat. Sequitur tandem in epistolâ narratio de codicibus: quorum in Græciâ, dum perigrinabatur, septem transcripti sunt ejus sumptibus et operâ, unus emptus. Bysantii vix septem invenit, inopem adeo segetem, quum in miserandâ clade urbis, amplius centum et viginti millia voluminum, flammis aut excidio, periissent. Tandem, sub fine epistolæ, nuntiat se brevi profecturum esse ad Cretam insulam per Adriani urbem cum medico, quem, sine dubio, Nicolum Giacomum Senensem physicum et medicinæ artis doctorem fuisse affirmare possumus, et cum eo sipulationem facit.

Lascaris Laurentii nomine ac vice emit libros, valoris ducatorum circiter 950, quorum pars solum Byzantii consignanda est, pars altera Candiæ. Inde in Cretensem insulam cum Lascare nostro transmigramus. Verum ibi, visis et perspectis voluminibus, non fuit inventa tanta summa quantam sperabant invenire. Inventa taxaverunt et appreciaverunt pro ducatis 255; non computatis in eâ summâ 100 ducatis, pro voluminibus Byzantii emptis, neque 50 ducatis pro expedimento dictorum voluminum et librorum (2).

Ergo ex his duobus expeditionibus ducenta antiquorum

1. De Demetrio Castreno, v. magnam de obitu Bessarionis epistolam (op. citat. l. VI, ch 3).
2. Cf. duo opuscula jam citata passim.

volumina e Græciâ et finitimis regionibus collecta Florentiam magnis sumptibus transferenda curavit. Inter quæ non minus quam octoginta opera hac tempestate incognita, nonnulla etiam quorum vel auctoris nomen ignorabatur jamdiu neglecta ab interitu sunt recuperata (1). Quorum indicem manu ipsę suâ forsitan exaravit, si quid fidem adhibeas catalago, qui est in bibliothecâ Hanovriensi, quem E. Vogel transcripsit et publicavit (2). Has tamen divitias nec tractare, nec videre, Laurentio datum est : quippe anno 1492 fato cessit, quinque diebus antequam in Cretâ Lascaris apud notarium codicibus emendis stipularetur. Quumque in extremis ageret Laurentius, cum Pico et Politiano de Lascare etiam tum colloquebatur: « Vellem distulisset me saltem hæc mors ad eum diem quo vestram plane bibliothecam absolvissem. » Nec multo post rediit Lascaris et apud Petrum Medicem non minore gratiâ, acceptus est. Nam bibliothecæ iterum præfuit, et laudabilem illam consuetudinem locupletandi manuscriptos codices gemmis, nummisque veteribus, Cosmi ævo invectam, sub Laurentio Petroque, supra quam dici potest auxit, quasi capsœ essent reliquiis sanctorum servandis destinatæ (3).

Nec publice tantum, sed etiam privatim de litteris optime meruit. Vertendos multos codices de Græcâ linguâ in Lati-

1. Lascaris, Epist. ad Julium. Medicem.

2. Vogel, Serapeum, t. XV, p. 154. Catalogus ille per series distribuitur : Grammatici XVII, opera — poetæ XVIII, — Oratores XXV, — de re militari XI, — de somniis I, — de agriculturâ XIV. — In philosophiâ (mathematicâ, medicinâ chirurgicâ arte), XCV, — in theologiâ XIX, — Quorum summa ducentis operibus æqua adeo est.

3. Bandinius op. cit. p. XI.

nam vel Italicam linguam curavit, ut librum de morbis equorum e multis et veteribus scriptoribus compositum (1); plures etiam imprimendos. Quippe quum jam famâ clarissimus esset, corrector apud Alopam bibliopolam evasit. Hæc fuit prima librorum officina, et quasi tot aliarum parens, quæ Venetiis, Basileæ, Parisiis et ubique paulatim apertæ sunt. Hic principes Græcorum auctorum editiones, curante Lascare, in lucem venere, quæ, etiam nunc tanquam ineuntis typographicæ artis miracula æstimantur. Id præcipue notandum est, quod hæc opera, litteris uncialibus sive majusculis sunt impressa. Quod quidem Lascari est peculiare. Famam Demetrii Cretensis extinguere nitebatur, qui grammaticam Græcam Constantini Lascaris apud Paravisinum Mediolanensem, Homerum apud Nerlium Florentinum impresserat, iisdem litteris agglutinatis et conjunctis, quæ in codicibus usurpantur. At Lascaris artem typographicam arti nummorum signandorum, vel lapidum incidendorum similem esse arbitrabatur, et libros non confusionem et implicationem codicum, sed marmoris claritatem et splendorem æmulari debere existimabat.

Grandem igitur epistolam scripsit Petro Medici, ut ei litterarum uncialium usum commendaret; quæ non tam Petro quam omnibus eruditis viris destinatur (2). Quod ab initio manifesto apparet : « Quum Græcas litteras, quæ per multas

1. V. Mentionem docti viri Paulin Pâris in catalogo qui inscribitur mss. *français de la bibliothèque du roi*, nº 7248.

2. Hæc epistola exstat typis impressa in catalogo codicum Græcorum Florentinorum Bandinio auctore, t. II, p. 106-112.

jam ætates sopitæ non minus profundâ quam Latinæ dormitatione obtorpuerant experrectas sensimque ab interitu sese recipientes inspicerem...., novam hanc et litterarum studiosis perutilem imprimendi occasionem nactus, litterarum Græcarum elementa a deformi et indecenti admodum depravatione vindicare constitui. Quumque animadverterem earum notas, quæ in præsentiâ sunt, impressioni adhibitas, nec excudi posse commode, nec apte invicem cohærere posse, quod perplexæ nimium et circumvolutæ sint, priscas litterarum figuras, jamdiu obsoletas, diligentius inquisivi atque huic imprimendi artificio, per excusores atque id genus opifices accommodatas, impressoribus tradidi (1). » Petro Medici, qui disciplinas omnes, a colluvie emergere tentantes, omni curâ suscipit, et in pristinum nitorem restituere nititur, hoc opus magnificentissimo sermone dedicat. Neque tamen vult quidquam in hac re innovasse temere videri : his elementorum figuris antiquissimi impressores usi sunt, quando in numismatum, marmorum atque id genus inscriptionibus vel cuivis sese offerunt. Sed pluribus modis et varie admodum, hæ litterarum notæ expressæ inveniuntur. Unam et eamdem formam unicuique litteræ primum exstitisse, haud dubium est. Quâ non Romani solum utebantur, sed et quilibet alii populi, Teutones, Galli, Hispani vel Ligures ipsi. Omnes hæ figuræ a solis Romanis defluxerunt, qui eas a Græcis mutuati erant. Sed exscribentium vitio, magis

1. P. 106.

atque magis, in incertas et multiplices formas abierunt. « In litteris autem utinam librariorum quoque manus coerceri et ad simpliciorem formam dirigi potuissent. Non enim ita majori ex parte et Latini et nostri codices corruptissimi legerentur. Sed librariorum illud vitium quod celeritati consuleretur, æquiori ferendum est animo. In imprimendo autem inconsulti videtur esse hominis, ita corruptas et indiscretas notas confusasque et inter se complicatas, ac pro indoctissimorum quorumque arbitrio deformatas.... persequi quum veræ et simplices figuræ facilius excudantur et aptius cohæreant et majestatem quamdam præ se ferre videantur (1). »

Inde pergit singulas Græcorum litteras recensere, originem cujusque multis argumentis et exemplis comprobans, quæ scientia grammaticorum est. Quâ in re raro peccavisse pro temporum horum ratione videtur; et quæ fuerit vetus figurarum forma, quem numerum quæque littera indicaverit, unde fuerint accentus et spiritus generati, ita explicat et perscrutatur ut a recentioribus grammaticis pauca addi, nihil detrahi posse videatur : « hæ igitur litterarum figuræ talem dimensionem et responsionem invicem habere videntur ut demonstrare facile quis possit nullas alias figuras, tam varias inter se, ex tantâ linearum quantitate tantam proportionem convenientiamque servare potuisse (2). » Lascarem diuturnâ investigatione veras litterarum figuras reperisse non dubium est. Num vero optime accomodatas

1. P. 108.
2. P. 111.

figuras ad typos et impressionem invenerit, dubium. Quod si, his temporibus impressores in id solum niterentur, ad codicum litteras implexas et confusas summâ diligentiâ effingendas, non continuo debebat Lascaris vulgares et cursivas litteras rejicere. Libri, ejus operâ e typis emissi, similes admodum sunt illis libris, qui horarii apud medium ævum nuncupabantur. Etenim vel nihil aliud inest nisi carmina majusculis scripta; vel in medio utriusque paginæ carmina sola majusculis impressa sunt; et circa, quasi tenerrimæ illæ imagines et minuscula lineamenta quæ ad oculorum delectationem per codices describuntur scholia et additamenta, multis ligaturis implexa, minusculis litteris in margine undique decurrunt. At tanquam in inscriptionibus marmore incisis, vocabula vix inter se disjuncta non satis apparent. Illud præterea notandum, quod accentuum notæ imprimuntur, sed non satis accurate. Pro utroque spiritu dissectas litteræ (H) partes Lascaris usurpat: circumflexi eamdem quæ in Latinis figuram ex acuti et gravis conjunctione adhibet.

Ea igitur epistola ad Petrum Medicem post librum epigrammatum legitur; qui primus e typis Alopæ bibliopolæ, Lascare accurante, prodiit. Lascaris lectionibus publicis epigrammatum editionem optime paraverat. Sophoclem item et Demosthenem, quos tantâ curâ apud frequentissimum cœtum Florentiæ explicuerat, apud Aldos posterius elaboravit multum ut imprimerentur. Neque ullo modo incredibile est Lascarem Callimacho, Musæo, quatuor tragœdiis Euripidis, et Apollonii Argonauticis operam in pu-

blicâ scholâ dedisse, quos postea, eodem ferme anno 1494 imprimendos curavit. Ita quæ in scholâ publicâ coram adolescentibus solis recitata et explanata erant, ubique et in ævum prolata, omnibus eruditis viris utilitatem haud mediocrem afferebant.

Lascaris Anthologia, tota ex Maximo Planudâ depromitur : qui Constantini Cephalæ opus, librorum ordine immutato, et singulis libris in plurima capita digestis, pene retulerat. Præterea Planuda, omnia quæ lascivioris essent argumenti aut quæ ob graviores scripturæ depravationes minime intelligi possent omisit, et si quid horum carminum recepit, plerumque obscena verba cum castioribus commutavit, aut depravata emendare conatus est. Quem secutus est ducem Lascaris nullâ re neque omissâ neque additâ, nisi epistolâ quam ad Petrum Medicem scribit. Callimachus cum scholiis quas ipse addiderat editus est. Doctissimus vir F. Didot Lascarem contendit circa eumdem annum Musæi poema etiam publicavisse. Id tamen apud Bibliothecam nostram non reperimus, quæ quatuor alios Lascaris libros habet (1). Quatuor tragœdias Euripidis, Medeam, Hippolytum, Alcestem, Andromachen dedit; at codicem transcripsit Florentinum sine scholiis, qui quibusdam partibus depravatus est, nec satis mundus (2). Postremo, Apollonii Rhodii Argonauticis imprimendis curam navavit quæ, A. 1496 solum, postquam Florentiâ cesserat, edita sunt. Quæ omnium pulcherrima editio, si ad disposi-

1. Cf. F. Didot Alde Manuce, p. 457.
2. Cf. Weill in præfatione Euripidis, p. XXIX.

tionem textûs spectes citra controversiam æstimatur. Illæ autem editiones, quanquam in quibusdam locis peccant, accuratissimam tamen codicum transcribendorum diligentiam et laborem improbum præ se ferunt. Nec, si Lascaris Aldorum perfectionem primum non attigit, minus confitendum est, hos libros, viri eruditionem, doctrinam, judicium ut eo tempore rarum testari. Imo viam, ut ita dicam, Aldinis illis editionibus aperuit, quibus postea operam dedit.

Maxima inde fama Lascari contigerat : nomen ejus per ora volitabat. Florentiæ, in illâ litterarum et antiquitatis arce, mortuo Laurentio, princeps eruditorum facile habebatur; neque multi in totâ Italiâ cum illo poterant comparari. Sed jam omnia belli furore ardebant : Florentiæ facundissimus ille Hieronymus monachus, in litteras græcas et in nova studia magno impetu invehebatur. Petrus Medices a patre degener, patriam deserebat, ut ad pedes Caroli VIII seso dejiceret. Maximus inde tumultus. Lascaris inde fata mutata sunt.

CAPUT III.

LASCARIS IN GALLIA ET VENETIIS

Id sæpenumero viris eruditissimis sæculi XV objectum merito est, quod minime firmi ac tenaces propositi, fidem erga patronos et Mæcenates suos non servaverunt. Neque soli tamen in id vitium incurrunt; quippe in Italiâ præsertim, ipsi bellatorum duces, et viri rebus publicis præpositi, semper ad novas res tendere consueti, suis ipsorum, minime patriæ commodis consulebant. Et Lascaris, Laurentio mortuo, a Medicum familiâ descivit, non ab omni quidem vituperatione propter id ipsum integer. Quod si tamen res altius attendere et perscrutari non graveris, quam facile factum excusare possis! Jam Petrus Medices ad Carolum VIII transfuga, Sergianam arcem et quædam alia castella, et quasi clavos reipublicæ Florentinæ tradiderat, et vivum defectionis exemplum stabat. Jam Hieronymus ille non hominis ingenio, sed quodam fatidico igne instinctus monachus, secum juvenum animos trahebat et quasi totam civitatem devinctam auferebat. Quis concursus, quum e cathedrâ sanctæ Mariæ adversus vitia sæculi vehementi facundiâ tonaret et cives suos a corruptelarum illecebris avocaret novus ille Cato (Catone felicior an infelicior?), non solum feminarum luxum reprobare munditias et ornamenta

incendio destruere, sed etiam poetas pellere eruditionem respuere, quidquid ad humanitatem et Græcas litteras tendebat exsecrari et multis conviciis impetere, quotidianis sermonibus conatus erat ; ut nemo Florentiæ esset qui non theologiam et sanctos patres diurnâ et nocturnâ manu versaret. Vis eloquentiæ civilibus dissentionibus enutritur, non vero humaniores litteræ. Neque quum belli pestis ingruit locus est iis qui bibliothecas excutiunt, qui codices transcribunt, qui poetas et oratores enarrant, qui juventutem bonis et pacificis artibus informant.

Aufugit ergo Lascaris a turbinum civilium antro, non sine quidem desiderio illius quasi secundæ patriæ. Sed veram patriam recuperaturum se posse forsitan, Carolo VIII auctore, confidebat. Quippe rex, acer juvenis et generosus, omni veterum bellatorum gloriâ et commenticiis in Orientem expeditionibus, et fabulosis facinoribus imbutus, quidquid grande erat meditabatur, et Turcas in Asiam repellere, sacrosanctum sepulcrum ab impiâ dominatione vindicare, imperium in totas orientales gentes condere, hæc omnia in animum induxerat. Lascaris, vix paucis annis in Italiam redux, qui Græcorum animos tentaverat, et adversus importunum jugum exacuerat, multum in id valebat conferre (1). Carolus VIII, eo ipso tempore, quo Zizimum fratrem Bajazetis sibi tradendum exigebat, Lascarem imperatoriæ familiæ extremam progeniem, dedignari aut despicere nequibat. Fuit inter magnificum illum regem et exsu-

1. V. Lascaris orationem ad Carolum V imperatorem.

lem Græcum mutua concordia. Uterque alterum quasi secretâ vi traxit; nec minus Carolus, rex et victor ad Lascarem ambitionis causâ pellectus est, quam Lascaris ad regem venit, patronum litterarum et liberatorem patriæ inventurus.

In hoc tanto belli civilis et externi incendio Medicum bibliotheca expugnata et direpta est; hæc omnia opera magno studio a Lascare conquisita, quibus nihil nobilius erat, nihil quod magis visendum Florentiæ putaretur, uno puncto temporis in prædam cessere.

Testantur Aristotelis Græci interpretes, et ceteri vetustissimi scriptores, quos secum Francorum rex in Galliam abstulit (1). Lascarisne iis qui tantas opes aucupabantur viam aperuerit an obstiterit, incertum. Facile credere est illum non diutissime colluctatum esse ut fidei commissam bibliothecam tueretur. Neque adversus vim jus valet. Et Lascaris forsitan secreto gaudio Caroli regis irruptionem tulit. Etenim periculum erat, ne pretiosissimi illi codices, tantis opibus parti, in manus Hieronymi monachi aliquando inciderent, et igne coram populo, delerentur. Non multo post, 1496 qui supererant codices ad hastam distracti sunt, a Petro Medice, qui magnis quærendæ pecuniæ necessitatibus premebatur. Et ne tam pretiosa volumina ad exteras gentes migrarent, cum monachis Dominicanis

1. Bandinius catal. codic. mss. bibliothecæ Medicæ Laurentianæ, t. I p. XII. — Asportavit etiam Carolus plurimos e bibliothecâ Neapolitanâ ereptos libros (V. *Catalogue des imprimés de la biblioth. du roy*, 1739-f° p. VIII).

sancti-Marci penes quos major ipsorum pars servabatur, transacta res est (1). Nempe transacta, Hieronymo ipso auctore, qui adversus litteras et quamcumque humanitatem tanto impetu vehebatur. Nihil mirum igitur si Lascaris quædam secum asportare in Galliam et forsan a barbaris manibus liberare statuit. Neque tamen suo jure fecit. Quamquam id factum quod nunc gravissime culpandum esset, erat tunc temporis levioris nomenti. Codices vel retinere, vel surripere, non furtum, ducebatur, sed quasi honori erat. Et vidimus, præter cætera, Philelphum a Franscisco Barbaro nobilissimo Venetorum patricio, a Leonardo Justiniano a Joh. Aurispâ libros frustra repetiisse (2).

Repetiit quoque a Lascare Petrus Medices, subrepta volumina. Epistola ejus ad Lascarem exstat, perbrevis et dura satis (3). Notat ille quosdam libros nec illos minimi pretii, Græcos præsertim in bibliothecâ Florentinâ deficere: quorum plures Lascarem habere secum; cæteros non ignorare ubi sint. Quærit ab eo vel potius imperat, ut manifesto indicet quo loco lateant, quo possessore et quo modo in veterem sedem redintegrari possint. Quin ut epistola firmioris etiam sit argumenti, scribit quoque.

1. Bandinius (ibid.).
2. Tiraboschus, t. VI, pars I, cap. 4.
3. Hæc epistola tota apud Bandinium citatur (biblioth. Medicea Laurentiana t. I, p. XII). Petrus Medices, sub fine epistolæ beneficia patris apud Lascarem collocata cum acerbitate quâdam commemorat: « Che siamo certi lo farete, non havendo ricevuto da questa citta e signoria se non sempre honore e benefizio. ex palatio nostro die XVI februarii 1496.

Joacchimo Guasconio, suo apud regem Christianissimum oratori, ut præsens cum Lascare loquatur et rem agat. Nescimus quo evenerit hæc epistola; id satis liquet multos codices in Galliâ remansisse, sive emptos, sive captos, ut spolia victoriæ opima.

Parisios igitur migravit Lascaris. Quæ urbs jam frequens, erat etiam tunc quasi litterarum domicilium. Parisiensis universitas quæ, tot alias pepererat, studiosis adolescentibus adhuc referta, nationibus exteris hospitium et magistros doctissimos præbebat. Zacharias Contarenus, orator Venetus, a civibus ut nuptiis Caroli VIII adstaret (A. 1492) missus, ibi viginti aut triginta millia Scholasticorum esse æstimat. Quanquam is numerus ad sex millia adeo redigendus est, eorum qui faciunt professionem in artibus liberalibus, exceptis fratribus, presbyteris, et innumerâ famulorum et librariorum turbâ. Id etiam addit professorum nullum a rege stipendium accipere. Scholastici levem admodum mercedem pendunt (1). Nemo tamen infitias ibit Parisiensem Universitatem a prisco honoris fastigio deflexisse. Tunc omnium animi ad theologiam rapti; omnes ad id tendere, ut syllogismis accincti, prompti ad disputationes scholasticas starent, unde et famam et quæstum in muneribus ecclesiasticis consequerentur. Nemo ex his versutis et plerumque vanis exercitationibus ad bonas

1. Cf. relationem Zachariæ Contareni, apud Eugen. Alberi Relazioni t. IV Ser. I, p. 16 et 17. Affirmat incolarum numerum ultra trecenta millia progredi : quanquam urbem minorem Patavio ipso, si ad superficiem spectes declarat. Ibi reperire est quo animo, quibus oculis vir Italus Franciam et Parisios tunc temporis contemplatus sit.

litteras animum advertere. Quis Græcæ linguæ studeret, linguæ nimirum hæreseum? Quis Latinis litteris humaniter operaretur, quum in scholis nihil aliud sonaret, nisi barbaræ voces, quidlitates, heiccitates, suppositalitates, cætera hujus modi? Veterum non modo scripta sed et nomen ipsum pene ignorabatur, excepto tamen Aristotele, cujus in versionibus Latinis tanto cum ardore pallebant omnes discipuli, ut ferias, Aristotelicos dies nominaverint (1).

Circa annum 1311 Viennense concilium jusserat magistros annuo stipendio Parisiis et in quibusdam aliis Universitatibus institui, qui Græcam et Hebraicam linguam docerent; et Basiliense concilium hoc decretum confirmaverat, sperans fore ut Græci et Iudæi aliquandiu ad catholicæ ecclesiæ græmium remearent. At ecclesiastici, præ novis rebus anxii stipendia recusaverunt. A. solum 1455 habemus Parisiis mentionem professoris in linguâ hebraicâ (2).

Quod si tunc et posterioribus annis quidam Græci in Galliam sese insinuaverunt, græcorum scripta potius ostenderant quam explanaverant. Andronicus Callistus in Galliam senex adeo venit, et ibi mortuus est. Andreas Palæologus Byzantini imperatoris et nepos, et heres, per Caroli regis aulam, majestatem deturbatam in contemptum adduxit, indecoro negotio implicatus, nempe ut jura ad hereditatem totius orientalis imperii Carolo VIII, magno ære trans-

1. Cf. Goujet. *Mémoire historique et littéraire sur le collége royal* 1758 4° (p. 8-11). Rebitté Guill. Budé (8° 1846), p. 80 et seq.-Egger *l'Hellénisme en France*, t. I, p. 124 et seq.

2. Cf. opusculum doctissimi viri, ch. Jourdain (*Revue des Sociétés savantes*, t. I, p. 350).

ferret; nec litteris edocendis sese addixit. Hermonymus, qui se, ut ait Erasmus, Spartanum prædicabat, Græcam linguam fortasse Parisiis docuit, sed quam rudis et illitteratus! A quo nihil aliud nisi litterarum figuras venuste pingere Reuchlinus, Budœus et Erasmus didicerunt; qui egenus, quum discipuli deficerent, victum transcribendis codicibus ægre quæsivit. Nemo igitur in Galliâ ante Lascaris tempus tot Græcorum poetas, philosophos, oratores, æternos generis humani præceptores, commentatur aut explicat (1).

In tantâ igitur penuriâ, Caroli regis comites ex Italiâ rediere, secum multos codices, ne tabulas et pretiosissimas vestes, argentum cælatum et pleraque alia dicam, asportantes. Eorum oculi adhuc tanto lumine litterarum et bonarum artium præstringebantur. Suæ eos ignorantiæ pudebat. Ardebant fontes Græcos adire, unde tot rivi limpidi et enucleati, per totam Europam emanarunt. Quisnam autem tenebras dissipare, quisnam aptam manum Græcæ antiquitati admovere, præter Ianum Lascarem poterat?

Lascaris igitur, in comitatu regio benignissime exceptus aulam quocumque se recipiebat secutus est; viros amplissimos frequentavit. Iis quos Gregorius Tiphernas aut Hermonymus Spartanus prima litterarum elementa vix edocuerat, in animum induxit veterum Græcorum studia inire et tueri: eos frequentissimis lectionibus et assiduo convictu instituit. Quod Naudæus affert, eum publico salario apud Universitatem Parisiensem litteras Græcas plurimis discipulis

1 V. Egger, op. citato, p. 143-148.

communicavisse, id falsum omnino est. Sed selectis quibusdam et nobilissimis discipulis pretiosissimos veteris Græciæ thesauros aperuit maximis propter id ipsum donis a rege Francorum cumulatus. Inter quos neminem clariorem neque cariorem habuit quam Budæum; sed raro admodum auditorem : « Quippe, ut ait Budæus, quum omnia, meâ causâ Lascaris cuperet, non magnopere juvare me potuit, quum ageret fere in comitatu regis, multis ab hac urbe millibus distractus, et ego frequens in urbe, raro in comitatu fuerim. Fecit libens id demum quod potuit; ut et nonnumquam præsens, mihi aliquid prælegeret, id quod vicies non contigit, et absens librorum scrinia concrederet et penes me deponeret (1). » Budæo igitur voluntate magis quam re profuit. Sed auctor fuit Lascaris ut ille vigilias et quasi perenne studium in Græcas litteras conferret. Auctor fuit ut in Galliâ messis tam vivida virorum Græcis litteris inhærentium sæculo XVI efflorescceret. Quos etiam melius et accuratius, multis annis postea informavit, quum in Galliam Francisco I regnante, rediit.

Præter Gulielmum Budæum de quo rursus mentionem sæpe faciemus, Lascaris Jacobum Ponceau medicum et Claudium Seysselium, viros doctissimos et excellenti gratiâ sibi devinctos, arctâ necessitudine tenuit. Jacobus Ponceau, regius archiiatrus, ut se ipsum nuncupat (2) Jacobi de

1. Epist. Budæi ad Cutbertum Tunstallium apud Erasmum (Opera, t. III, p. 110).

2. Fuit princeps inter medicos regum Caroli VIII et Ludovici XII. Cf. Astruc. *Mémoire sur la faculté de médecine de Montpellier* (4° Parisiis 1767, p. 223).

Partibus in Avicennam translationem cum amplo commentario rursus ediderat. J. Lascaris, in præfatione huic operi additâ amicum et patronum exquisitissimis sententiis et summâ jucunditate propter hanc editionem laudat : « Animam ego virorum illustrium, mentem ipsorum ac mentis opera et ingenii fructus, scientiam et eloquentiam esse existimo. Sepulcra autem animarum istarum libros et litteras. In quibus veluti in monumentis eorum reliquiæ positæ sunt, hæc igitur monumenta incuriâ hominum et pravâ quâdam negligentiâ quasi ædificia corruunt et paulatim abolentur ; et cum his deficiunt animæ quæ in eis memoriæ quodam modo thesauris servabantur. Quod tu minime passus es ut patriotæ tuo ac ejusdem artis professori accideret. Sed ejus speciosissimum monumentum pulvere obsitum, expositumque blattis ac tineis a tenebris erutum, Esculapii nepotibus vindicasti, non minori diligentiâ usus, quam M. Tullius, quando et Archimedæ sepulcrum, quod gloriæ sibi adscribi postulat, palinuris ac dumis obrutum Syracusanis aperuit. »

Jacobus Ponceau, qui, « curam regiam, pondus Atlanticum sustinet, opere studiosissime recognito, quanta in eo esset utilitas, facile perspexit. Quippe Iacobus de Partibus, locorum et aeris varietatem in totâ regione Gallicâ distinxit et quæ essent cuique accomodata remedia summo studio determinavit. His ita cognitis, Jacobus Ponceau « impetrat a rege beneficentissimo, nec magis invicto quam litterarum ac bonorum artium studioso, ut recuperatum opus ejus auspiciis in plurima exemplaria pro-

mulgetur per chalcographos, passim que jam usui pateat.... Imo vero me quoque pluribus jam tibi beneficiis devinctum hoc tam pio officio adeo commovisti, ut nec in præsentiâ hoc opus tuum tacitus prætergrediar, et in futurum magnam spem concipiam meisque doctoribus, qui bonorum omnium auctores extitere, tuâ operâ a rege magnanimo et magnificentissimo inclytarum reliquiarum monumenta (heu nimis jam misere corruentia) facile reparatum iri (1). »

Vix quemquam apud Ciceronianos hujus ævi reperias qui Latinam linguam faciliori tenore et puriore stylo scribere calluerit. Neque minus re quam oratione hæc præfatio laudanda est; quid enim melius quam opus arduum elegantissimâ epistolâ commendare; patronum justâ prosequi laude; regem optime erga litteras meritum, justo præconio ornare atque humanitatem accceptiorem in Galliâ reddere?

Neque in minore gratiâ J. Lascaris apud Ludovicum XII fuit quum rex ille A. 1498 in locum Caroli VIII successit. Huic regi J. Lascaris thesauros celeberrimæ illius apud Blæsum bibliothecæ expilavit. Ibi multos codices Græcos reperit, quos nemo, quia Græcum erat, legere poterat; quos Lascaris a Græco in Latinum vertit, ut inde Claudius Seysselius, Lascari amicissimus, ad usum regis ipsius in Latinum transferret. Xenophontis ἀνάβασιν, tres Diodori Siculi libros, Plutarchi Demetrium, Appiani Lybica, Parthica, Mithridatica, Illyrica et bella civilia, Latina eo proposito fecit. Quod Claudius Seysselius translator in

1. V. Hanc præfationem in translatione Avicennæ a Jacobo de Partibus (3 v. f° Lugduni 1498, t. I, f° 1).

præfationibus ad regem libentissime fatetur, non sine meritâ et amicissimâ Lascaris laudatione (1).

Lascaris in Galliâ non diu remansit. Ludovico regi nihil antiquius erat quam ducatum Mediolanensem suæ ditionis facere. Alpes igitur transcendit, Ludovicum Sfortiam ad Maximilianum imperatorem aufugere coegit, fervido Mediolanensium consensu, qui Sfortiæ exactiones ægre tolerabant. Quæ ambulatio potius quam expeditio fuit; et Lascaris qui ubique comitatum regium sequebatur in Italiam rursus venit. Postquam autem Mediolanenses novarum rerum semper avidi et jugi cujuslibet impatientes, in Trivultium regis Francorum vice comitem rebellarunt, et Ludovicus Sfortia in solium redintegratus, pulsus iterum, traditus ab Helvetis et in Galliam captivus venit, Janus Lascaris perutilem conciliandæ paci operam navavit; cujus intercessionem, quanquam nullus adhuc annalium scriptor commemoravit, novis possumus argumentis comprobare. Est enim in nostrâ Parisiensi bibliothecâ adhuc ineditus codex qui duas Lascaris

1. Cf. Paulin Pâris mss. *français de la biblioth. du roi* (nº 7140-41; 7147-49). Præfationi (nº 7141) inserta sunt hi Claudii ad regem versiculi qui factum de versione Xenophontis illustrant :

Le conte est plaisant et ancien.
Lascary l'a mis de Grégeois
En Latin ; puis moy en François ;
Si chose y a qui ne soit bien,
Prenez en gré.

quæ versio intra annos 1498 et 1500 circiter referenda est : aliæ versiones posterius, quum jam Lascaris in Italiâ orator regius ageret, factæ sunt. Claudius Seysselius mentiones ejusdem generis de Lascare aliis præfationibus inseruit.

orationes gravissimas continet quas eâ occasione pronuntiavit (1).

Concitatâ plebis irâ, tota civitas in defectionem ruit; omnes nostri nominis, dolis insidiisque circumventi, truculentissimæ mortis imaginem ante oculos habent, nisi illos quasi divino auxilio ducum providentia et militum virtus conservent; quicumque cives adhuc nostrarum partium exstant prædæ atque direptioni cum familiis domibusque designati; quem paulo ante tyrannum vocitabant, in quem immani odio confremebant, obliti omnium quæ ab eo essent perpessi, in ducatus possessionem revocant quasi invitum: bellicum apparatum undique suppeditant, ut Lud. Sfortia conducto milite adversus Francos, regis Ludovici comites bellum instauret.

At subito qui luctus invasit animos, quum Deo justis oculis adspiciente mortalia, oppressis iterum hostium copiis, dissipato excercitu, Ludovico Sfortiâ denique in regis potestatem redacto, fractis opibus, ex solius spe novæ veniæ pendent! En ad eam tanquam ad unicum remedium supplices confugiunt; inopis sane consilii homines, qui divinum huma-

1. V. Codicem nº 2620. Duæ orationes ita inscribuntur: « Jani Lascaris oratio pro Mediolanensibus » (fº 76-90) et « Ejusdem oratio respondentis ad legatos Mediolanenses » (fº 90-107). Nobis hunc codicem, multis aliis operibus permixtum, reperire contigit: duas orationes ad verbum transcripsimus. At eas sæpius mendosas esse, sive, quod manifestum est, vitio Barthi Philiarchi de Pistorio, qui eas primus scripsit; sive Lascaris ipsius, qui eas extemporales et inelaboratas pronuntiavit, ut Latinitas hinc inde claudicet, et haud semel deformis et impexa appareat. Sunt tamen quædam loca paulo lucidiora et commotiora; quæ verum oratorem referunt, digna prorsus iis orationibus quas accuratissime scripsit.

numque jus violando, ultionem pænamque deprecari maluerint quam pietatis gratitudinisque laude conquisitâ, favorem ac benivolentiam promereri (1).

His ita expositis, a Lascare ipso, in solemne consilium Georgii ex Ambasiâ cardinalis ingredi possumus (2) : duæ fuerunt in eâ deliberatione satis distinctæ partes : in primâ coram cardinale et iis consiliariis qui regis vices sustinebant de Mediolanensium sorte clam actum est. In secundâ autem, introductis Mediolanensium legatis, et, si qui vellent, civibus, venia palam concessa est. Multis amplissimorum ducum ad severitatem inclinantibus, tres habitæ sunt ejusdem argumenti orationes: 1ª a Michaele Tonso quæ apud Godefredum exscripta legitur (3) 2ª a Ludovico Tremolio quæ in commentariis ejus inserta legitur (4) 3ª a Lascare, quam ineditam reperimus quæ longior et viro rebus agendis occupato multo convenientor est.

1. Cf. Secundam Lascaris orationem, fº 97-98.

2. Habemus hujus consilii relationem in opere Theod. Godefredi de Ludovico XII (1615, 4º, p. 192) Titulus gallicâ linguâ ita inscribitur: « acte fait par les Milanais devant le cardinal d'Amboise, le 15 avril 1500, sur le pardon, par eux requis, à cause de leur rébellion contre Louis XII, roy de France et duc de Milan. » Subsequens autem narratio Latinâ linguâ est. Quæ non satis omnia ordine edocet. Etenim in indice eorum virorum qui circa Cardinalem Georgium erant, neque Lascaris noster citatur, neque Ludovicus Tremolius cujus oratio in eodem consilio habita est, ut judicum animos ad clementiam hortaretur. Ea tamen narratio nobis quasi imaginem consilii hujus reliquit, cui, Lascaris auctoritate, addere et supplere poterimus.

3. *Op citat.*, p. 195-200.

4. Cf. Commentar. Ludovici e Tremoliâ (apud, Collection Michaud, t. IV, p. 441-442). Ea forsitan ab auctore commentariorum composita est. Qui tamen fuerint sensus marescalci satis demonstrat.

Lascaris vividam Mediolanensium defensionem pronuntiat quasi ab iis legatus missus ut causam apud judices oret : « Non sumus invisi penitus omnipotenti Deo, illustrissime atque admodum reverendissime Dominè, quod omnes nostrum qui non omnino desiperent, imprimis veriti sunt, ex quo Ludovicus Sfortia, profligato exercitu, profugus, rursus in hanc urbem ob certorum hominum pervicaciam ac temeritatem receptus est. Nam curam regis præcipuam ut ad hanc expeditionem te ex omnibus mitteret, tuum consilium studiumque ad nos advolandi, nemo unquam dubitaverit divinæ providentiæ opus esse (1).

Clementiam Ludovici regis et ejus militum multis exornat verbis, non sine quâdam Ciceronis imitatione : « Cæterum, bonorum quidem causa omnium divinæ Providentiæ pientissime attribuitur ; parentis autem erga nos beneficii magnitudinem, nemo unquam tantâ eloquentiâ fuit, nec tam excellenti atque admirabili ingenio, qui oratione consequi, nedum augere aut ornare possit. Nam statim belli initio, summâ injuriâ lacessitos, omni indignatione sepositâ saluti nostræ consuluisse, vitæ, fortunis, memoriæ nominis, in summo omnium discrimine positis, superat hoc humani ingenii facultatem. Ex quo Rex successit regno, multa præclare gesta sunt, pacatum regnum, pax honorificentissime cum finitimis inita, quæcumque bella exorta sunt celeberrime confecta. Horum pleraque fortunæ adscribi poterant : quin in ejusmodi omnia fortuna sibi

1. F° 76.

imperium vindicat. Sed hoc unum erga nos sapienter, recte moderate, factum, illa omnia fortunæ adimit, consilio adscribit, quandoquidem a sapientiâ longe recessit temeritas, et a consilio casus removetur (1).

Janus Lascaris excusare factum, quantum res sinit, enititur. Causas rebellionis hinc illinc requirit et exponit : perversitatem paucorum, « qui lynceis, ut aiunt, oculis, » quidquid mali erat perspicientes, quidquid præclare ordinatum erat iniquissime calumniantes, omnia perverterunt : culpam Trivulcii gubernatoris, qui rupto fædere, publicanos de minutissimis quibusque rebus pecuniam exigentes, ante portas constituit ; qui patronum guelphis, guebellinis (*sic*) autem adversarium sese exhibuit ; denique severitatem nimiam in judiciis præfecti consilio (2).

« Quin etiam nec nationi, nec regi ipsi parcentes audiisses, sed in hujus modi verba frequentissime prorumpentes : Gallos nunc quoque proprium sequi morem. Esse vehentissimos acquirendo, parta non tueri ; maxima quæque levibus de causis negligere, neque hujus rei exempla longius esse repetenda. Regnum Siciliæ non esse nuper celerius acquisitum quam negligentius amissum ; satis illis videri si quid diripere aut asportare possent » (3). Hæc est illa culpa quæ omnis tempore nostris objecta est : quanquam, Græcum virum et Italos Gallicæ nationi mobilitatem

1. F° 77-78.
2. Is autem erat, ut apud Godefredum notatur (p 193) Petrus Episcopus Lucionensis, cancellarius Mediolani et prœses justitiæ.
3. F° 83.

et inconstantiam vitio vertere, id demum ridendum est quasi quis dicat aere et ventis undas oceani mobiliores et fallaciores. Quin et regem ipsum illi impudentissime asseverant ad venationes et voluptates rediisse ; auxilia, specie vindicandæ potestatis ecclesiæ ad rapinam Italiæ summo pontifici misisse. Regem contra Romanorum ut Ludov. Sfortia redintegretur properare : Burgundos jamjam adesse : hostem ante portas urbis et quasi capitibus instare : « his vocibus, his rebus artibusque, quidam decepti, alii etiam coacti, inviti pene omnes cedere tunc compulsi sumus, qui in illum semper infesto fuimus animo, vobis nunquam alieno ; neque id profecto admirandum, quando nemo nascitur ullis partibus addictus, sed ut est injuriis aut beneficiis affectus ad alterutros se convertit (1). »

Petit ergo ut Mediolanenses qui coacti regem offendederunt, commiseratione etiam digni existimentur. Petit ut pars tributi, quod trecentis centorum millibus æstimatum est, remittatur, et ad centum millia redigatur.

« Si quidem rex clementissimus nos salvos esse vult, hoc perfecerit, si ea pecunia urbi condonetur. Sin minus, parum differre videtur unâ ruinâ civitas subvertatur, an sensim non multo tempore absumatur. Et vero tantâ pecuniâ exhaustâ, non relinquitur quæ in foro versetur ; mercatura necessario tollitur ; artes mercaturæ conjunctæ in quibus consistit status civitatis protinus deficiant necesse est (2). »

1. F° 85.

2. F° 87. Alii oratores, Mediolanensium defensionem suscipientes in eamdem partem etiam inclinant. Scimus omnes aureos hujus ætatis nummos (ducatos, florenos, zecchinos scutos) idem pondus habere (3 gr. 5

Petit ut milites omnia diripientes atque conculcantes ab agris celerius avocentur, ne fructus præsentis anni dissipentur, et intolerabilis penuria pariter omnes conficiat. Petit postremo ut cives in magistratus et munera sua restituantur; petit ut pax et concordia inter Mediolanenses alatur, cohibitis discordiarum et perturbationum fautoribus: « nec nos ingrati animi erimus, sed tui nominis memoriam quibuscumque modis id fieri possit melius in ævum propagabimus; teque liberatorem nostrum, servatoremque et venerabimur et colemus (1). » Hæc est prima Lascaris actio, et cursu argumentorum gravis, et vivido eloquentiæ flumine sese proripiens, quæ virum rebus publicis aptum demonstrat, quum nullâ ex parte in vitium Hujus ætatis cadit, quæ res præsentes eruditione quâdam et commenticiis heroum veterum exemplis commiscet.

Alterâ oratione, Lascaris, quasi Proteus factus, novum vultum, novos sensus induit. Quippe qui, nullis ambagibus, tristioribus verbis et quâdam severitate, defectionem Mediolanensium vehementissime objurget, quo carior iis venia præsens esse videatur. Ea autem sine dubio pronuntiata est, post orationem Michaelis Ricci, qui cardinalis Georgii jussu, nuntiavit primus Mediolanensibus a rege pænam condonari. In primâ parte Lascaris quum, ut ipse ait, veritas non indigeat perplexâ oratione, res ipsas ut gestæ

quod 12, 75 francis nostri temporis simile est. Sed si ad relativum valorem respicias, multo amplius quinquies valent. Trecenta Scutorum millia 18,000,000 francorum juxta nunc valerent.

1. F° 90.

sunt, plane ac sincere exponit; quomodo rex rapinis et extorsionibus vexatos ab indecente oppressione populos suos vindicaverit; quæ fuerit regis victoria, quæ moderatio, omni injuriâ abstinentis, unumquemque in magistratibus et omnifariam muneribus confirmantis, et vix tertiam partem earum solutionum exigentis quæ prioribus dominis pendebantur. Postremo fidehommagium memorat solemnibus cærimoniis ab omni ordine præstitum, ut rex in ducatum suum legitimus possessor restitutus sit.

Multis Mediolanenses conviciis aggreditur, ob fidem violatam. In Trivulcium, in Gallos, in regem Ludovicum ipsum congestas calumnias et injusta crimina diluit. At rex : « Imago Dei est animata, ut sapientissimorum sententiâ autumatur; nullâ re exactius Deum referre potest, quam si salutem dederit quam plurimis.... Iracundiam cum victoriâ terminavit, vel eam potius quia majora concepit animo in impios, in communem christianorum hostem distulit. In subditos suos, in vos, viri Mediolanenses ac reliquos, omni offensionis memoriâ deletâ, mitis, hilaris, clemens esse voluit. Remisit vobis ac remittit hic per nos publice delicta omnia. Pepercit, ignovit, veniam concessit. Liceat vobis, Mediolanenses, liceat cæteris ducatûs habitatoribus, nobilibus, plebeiis, cujuslibet fortunæ ac conditionis, hominibus illis exceptis, qui ante secundam diem februarii deliquerunt quorum adhuc causa pendeat necesse est (1);

1. Hi fuerant turbarum ac seditionis fautores; in illos animadvertendum severius est. Iidem, secundum orationem Michaelis Ricci, veniâ quoque excipiuntur. Quatuor solum traditores potius quam rebelles morte sunt mulctati. Fuit ea Ludovici prope sine lacrimis victoria.

liceat, inquam, omnibus, omni injuriæ ac detrimenti metu suspicioneque depositâ, frui jam libere jucundiori vitâ, patriâ, possessionibus, opibus quibusque ac bonis » (1). Ergo non nostrorum solum sermonibus ad cælum, propter clementiam, Ludovicus noster effertur, sed advenæ etiam calculum addunt, et nomen Patris Populi ad æternam memoriam effusis laudibus commendant. Hac solemni admodum occasione, Lascaris, si non nomine, re certe orator regius fuerat. Ut Cardinalis Richelius inter regem Ludovicum XIII et matrem ejus, ita ille ministerium inter Mediolanenses et regem Gallorum præstitit ut civitatem cum irato rege conciliaret. Quod, citra exspectationem multorum, et regis ipsius, successit.

Neque enim, quod multis eruditissimis hujus sæculis viris evenit, litteræ solum inquietum ejus animum explebant. Ille quoque tractandis rebus publicis incumbebat, et oratoris regii aut pontificalis vices apud exteras gentes multos annos egit. Etenim, ubique litteratissimi viri aulas regum et principum frequentabant; ubique mutuam necessitudinem cum amplissimis viris conjungebant; nihil illis secretum, nihil abstrusum; adde quod doctrinâ exculti et subtiles ingenio, reconditos principum sensus introspicere, consilia speculari, egregie noverant; quod pure et emendate plurimis linguis utentes, in scrutandis ant tentandis plebeiorum animis erant præcipui. Illi huc et illuc cursitabant, sive discipulos quæsituri, sive a Mæcenate aliquo vocati quid vetabat quin, specie

1. f° 106.

emendorum librorum aut excutiendæ alicujus bibliothecæ, res gravissimas tractarent et fœdera inter nationes inirent? Quin eorum arbitrio pax componeretur aut concitatæ plebis sedarentur animi? Ita Æneas Sylvius et Bessario, Philippus Cominensis, Budæus, Bembus et Melanchton postea nunc in scholâ, nunc in consiliis regum orabant, bene de litteris, bene de tot civitatibus ac principibus meriti.

Lascaris, cum calliditate Græci, Itali acumen et solertiam sociabat; Græce et Latine juxta loquebatur et disertissime scribebat; Italicam linguam callebat, Gallicæ etiam haud ignarus. Quem alium meliorem eligere posset rex Francorum oratorem et legatum? Anno igitur 1503, quum Ludovicus XII, totius Italiæ vere arbiter, civitate Neapolitanâ in ditionem suam redactâ factus erat, Venetias, orator regius, missus est (1).

Quantum mutatus ab eo Lascare Venetias rediit, qui olim miserabilem victum vix sustinens, præ paupertate exsulare coactus fuerat, ut alias hospitaliorem terram reperiret! Nunc orator Francorum regis, concitatorum Mediolanensium pacificator, eximiæ virtutis et grandis famæ vir, societatem cum munificentissimis Venetorum patriciis quasi ex æquo jungere poterat, in feliciore illo sæculo, ubi instar nobilitatis, instar munerum publice expletorum, litterarum fama æstimabatur. Id erat in votis Ludovici regis ut fœdus, abhinc multis annis cum Venetorum civitate initum, sanciretur et confirmaretur. Sed Veneti præ Francorum occu-

1. Bembus historia veneta, t. I, p. 159, A. 1503.

patione in Mediolanensi ducatu anxii, eorum partibus favere diutius nolebant. Parum, igitur successit Lascaris legatio. Ille post amissum a Francorum copiis regnum Neapolitanum, id tentavit ut Veneti cum Hispaniæ reges bellum facerent; quod patres respuerunt, veteri se fœdere contenti dictitantes. Instat anno insequente (1504) Lascaris: regis Ludovici nomine, conditiones amplissimas frustra offert; novam repulsam patitur. Suo contenti vivunt, nihil ultra appetentes, cum omnibus pacem servantes, neque ullius nationis lites suscipere ausi (1).

Nec tamen a Francis Veneti deficiebant; nec ea causa erat cur ab illis pænas immeritas exacturus, rex Christianissimus cum Pontifice Max., cum rege Romanorum et catholico rege conspiraret, ut eorum agrum invaderet, ut divisum in partes inter unumquemque bellum gerentium partiretur. At Lascaris, Venetorum amans, hoc bellum maxime reformidabat, ne civitate eâ oppressâ, corrueret etiam Francorum in Italiâ imperium. Itane christiani infensa arma in se invicem concitare debebant, quum Turcæ, quasi legitimi possessores, Græciæ visceribus inhærerent? Lascaris contra enisus est. Etenim habemus hujus legationis pretiosissimum monumentum, quod ineditum adhuc, exstat in bibliothecâ nationali Florentinâ, quodque nobis transcribendum curavimus (2). Est ea relatio ad Ludovicum regem

1. Cf. Bembum op. cit. t. I, p. 159 et 168.

2. Codex Magliabecchianus (XXV; 9; 655;). Id opus a nostro Lascare relictum, Italicâ linguâ scribitur cum hoc titulo : « Informazione contro a Turchi data per Iano Lascari nel MDVIII. »

scripta ut bellum a Venetis in Turcas convertat (1). Nulla in eâ incitatio orationis, nulla paulo commotior sententia, nihil ad eloquentiæ vim, aut sermonis ornamenta comparatum. Omnia lucida et tranquilla fluunt. Est propre redundans argumentorum copia ; sunt argutæ virium cujusque nationis descriptiones, ratio tota expeditionis diligentissime exponitur, et passim de rebus et viris judicia præclara inseruntur, quæ cuncta quasi persuasionis lumine illustrant ; quæ rerum prudentiam, calliditatem in providendo, in explicando solertiam hominis satis comprobant. Quanquam, puriorem fortasse sermonem merito requiras. Nam Lascaris, rudis adhuc linguæ Italicæ, ita in numerorum clausulis Latina quædam vocabula adhibet, ut vel in his partibus ubi peccat, Ciceronianum odoreris.

Nihil interest Lascarem sequi, quum prolixius paulo, de Turcarum origine et superioribus victoriis disserit. At multo ad rem accommodatius est, quidquid de viribus Turcarum affert memorare. Ipse eos viderat jamjam debilitatos, sultanum morbis confectum et imbellem, familiam divisam prorsus, ob matrum et filiorum ambitus ; bella civilia in Palatio ipso, quum Sultanus quisque in solium ascendit ; denique janitzarios propter segnitiam obsolescentes, quâcumque vi coactos, præcipue ex adolescentulis christianis quos Turcæ ad cultum Mahometi, invitos trahebant, et metu solum retinebant. Quis sit peditum et equitum numerus, quæ vectigalia exigantur, quæ nationes a Turcis in montibus insulisve desci-

1. Ita postea Leibnitus Ludovicum magnum hortabatur, ut a Batavis in Œgytiorum sultanum bellicos apparatus averteret.

verint; quam impatienter christiani impium jugum sustineant, singillatim percenset.

Quæ sequuntur de cruciatâ ipsâ agunt. Petit a Christianis Lascaris, ut duo exercitus in orientem mittantur, quorum alter, magnâ curâ delectus, maritimo itinere naves aut Neapolin in Siciliâ, conscensurus sit, ex Italis et Hispanis præcipue collatus; qui specie conquirendæ Hierosolymæ recta Constantinopolim tendat et urbem expugnet, antequam Sultanus vel profectam expeditionem senserit, (ut in quartâ cruciatâ evenit). Alter autem multo copiosior locum coeundi in Hungariâ habeat, ex Helvetis, Germanis et præsertim ex Francis et Anglis conglobatus. Secundo Danubio vectis, facile esse e Budâ urbe Singidunum assequi, dummodo multæ pecuniæ his copiis distribuantur, ne direptio in agris fiat, et populares christianis insidias struant, nedum auxilium præbeant. Quod si uterque exercitus ad mænia Constantinopolis convenire possit, de Turcarum dominatione in Europâ actum esse.

Hanc spem Lascaris alit, irritam prorsus ac fallacem : quam quo in Ludovici regis animum fortius incutiat, res altius repetit, et quid auxilii quæque Italiæ civitas collatura sit indicat. Genuenses et Mediolanenses Francorum regi subjectos, magnam pecuniam erogaturos ; Venetos onerarias et bellicas et cujusque alius ordinis naves quibus eorum navalia castra referta sint, missuros. Nec tamen ullam terrestrem copiam suppeditaturos, exceptis quibusdam voluntariis, Naupliam appulsuris, quæ urbs sola in Moreâ eorum ditionis sit, ut omnia circa loca ad rebellionem sollicitent, et amissum recuperent imperium. Id Venetos summo

pere cupere. Bene esse si tela, arma, quibus id vocabulum ἐλευθερία inscriptum sit, si effusæ pecuniæ conferantur, ut Græci ad rebellandum tententur. Quanquam, Venetos, qui olim rebus in Oriente actis apprime animos direxissent, nunc omnino deferverscere, metuentes, ne Turcæ seditionem in Dalmatiâ et vicinis provinciis ulciscendi studio moverent; solliciti imprimis de vicinorum in Italiâ victoriis et statu. Lascarem, id ab amplissimis Venetorum, frequentissimis sermonibus, accepisse, civitatem expeditioni secundam fore; sed in collationibus pecuniæ, armatorum, navium, tenuem et parcissimam se gessuram, nedum propriis viribus Turcas aggrediatur. Pecuniæ igitur a summo pontifice de decumis et voluntariis donis præbeantur necesse. Melius etiam esse, si ipse armatus ut Pius ille II papa, in Orientem totius expeditionis dux venerandus incedat. Id autem Lascaris minime sperare videtur. Ut enim Venetorum mentes ad mercaturam et quæstum solum inclinatas, ita pontificis summi cupidatem imperium in Italiâ huc illuc dilatandi optime novit (1).

Quod antequam expeditio moveatur, certam ejus præsagire cladem manifestum est. Quippe, ut Plato Reipublicæ, ita Lascaris perfectam quamdam sacræ expeditionis imaginem animo concipit. At quomodo ad ista summa et in omni genere perfecta, hujus ætatis homines possint pervenire? Quomodo tot reges, mutuis discordiis assueti, et quasi assiduo bello sese invicem petentes, coalescant? Quomodo tot pecuniæ, tot armatorum copiæ, tot classes subito appa-

1. Hoc opusculum sexaginta et quatuor paginis densæ admodum scripturæ in transcriptione nostrâ constat.

reant? Nempe si pede solum supplodas? quasi facile sit, Ferdinandi regis et Henrici VII ævo, id consequi quod, ne sanctissimus quidem regum, Ludovicus IX, assecutus sit, nempe ut tota Europa vires in Musulmanos consociet? Et Lascaris ipse omnia ordine et carptim perscripsit; sed non eâ spe victoriæ, non eâ inconcussâ fide, quæ Petro Eremitæ copiam loquendi faciebat; hæc est legati cautissimi, diligentissimi et omnium rerum gnari relatio, non christiani in impietatem arcendam vividus sermo, et ad fidem incutiendam comparatus.

Etenim Lascaris vel quum rebus agendis animum attendit, litteratum etiam agit neque credulus nimium, neque alios ludificans. Venetiis tempus in legationis suæ curis et litterarum studiis æquâ parte consumit. Nec orator solum regius magnarum rerum pondus sustinet : Aldorum etiam socius et corrector plurimam operam edendis veterum scriptis collocat, ut inter doctissimos studiorum et cujusque humanitatis restitutores merito annumeretur.

Aldi Manutii nomen, quis sine justâ reverentiâ vel pronuntiare solum potest (1)? Ejus officina (A. 1495) ad basilicam Sti-Augustini sita, ab amplissimis et præstantissimis cujusque nationis viris frequentata, fuit musarum Græcarum domicilium, et gymnasium quoddam, unde tot libri, generis humani quasi præceptores, per totam Europam avolarunt. Et Lascaris Aldum alias viderat sæpius, et cum eo litterarum quamdam societatem iniverat. Nempe Aldus,

1. Cf. Ambroise Firmin Didot, Alde Manuce et l'Hellenisme a Venise 8° Parisiis 1875.

ut Bessarionis depositos in bibliothecâ Sti-Marci libros, ita Jani Lascaris codices tanto pretio in oriente conquisitos, tractabat semper et recensebat.

Habemus hujus fecundæ societatis plura testimonia (An. 1502), tunc quum Lascaris Mediolani adhuc degeret, Aldus Sophoclem suum publicat, et Jano Lascari dedicat cum amicissimâ epistolâ quæ utrique summo decori est : « Sedentibus nobis his brumæ frigoribus in hemicyclo ad ignem cum Neacademis nostris forteque esset una Marcus Musurus noster, post multa variaque vicissim, ut solet, dicta inter nos, in tui incidimus mentionem. Tunc Marcus, ut est, studiosissimus tui, ac perquam gratus discipulus, nam quantum bonis litteris moribusque profecit (profecit autem plurimum), id omne tibi acceptum refert, quum longo sermone de te honorifice multa narrasset, te, proximis Julio et Augusto mensibus, et Mediolani et Ticini vidisse addidit ; deque renascentibus Græcis litteris, plurimum tibi secum fuisse sermonem. Nec non ob communem studiosorum omnium utilitatem, nostrâ hac provinciâ gaudere te mirum in modum maximeque laudare labores nostros. Quamobrem cum tragœdias Sophoclis nuper imprimendas parvâ formâ curassem, eas sub tuo nomine volu- ex Neacademiâ nostrâ prodire in publicum, tibique muneri mittere εἰς μνημόσυνον summi amoris erga te mei. » Quod reliquum est, de scholiis Sophoclis agit, quæ simul cum ipso opere publici juris facere, Aldus valde cupisset. Sed non voti compos fuit, et mortuus est antequam Lascaris, qui olim Sophocli addictus, septem tragædias Florentiæ

plures annos in gymnasio publico commentatus erat, interruptum opus continuaret, et scholia ea Romæ vulgaret.

At quum Lascaris, orator regius, Venetiis quinquennium illud mansit, affinitatis hujus vincula arctius etiam adstrinxit. Nulla fuit dies, nec ulla quidem, ut ita dicam hora, quin ille Aldinos Neacadæmos celebraret, quin illos consiliis, auctoritate, doctrinâ, postremo assiduâ ope et virgiliis adjuvaret (1). Ibi Marcum illum Musurum, quem Florentiæ discipulum informaverat reperit; ibi Aleandrum, Petrum Bembum, pientissimos et litteratissimos viros. Ibi Sabellicum et Marinum Sanutum, historicos et patricios novit. Ibi ante omnes Desiderium illum Erasmum miratus est et dilexit, qui tunc, quamvis jam famâ celebratissimus, in Aldinâ officinâ corrector erat. Et Erasmus, licet ad invidiam pronus, viri ingenium, mores, scientiam, et litterarum studium ita approbavit, ut eum postea Lovanium accire et ejus assiduo convictu frui tentaverit, quod probitatem et modestiam nostri Lascaris plane testatur.

Qui inde concursus circa Lascarem! Erat ejus domus celeberrimis et cultissimis ingeniis frequens. Scholam in propriis ædibus, tanquam ille quondam Critolaiis, tenebat, Græcas litteras edocens, simul atque rerum publicarum curam gerebat. Ibi Lazarum Baivium (2), Antonii patrem, et Johannem Parrhasium cui postea Leonem X pontificem

1. Num fuerit ille ex Aldinis illis Neacadæmis, dubium. Doctissimus vir Didot, negat. Sed tum Lascaris maximum Aldorum operi, magni pondera fuisse asseverat (cf. op. cit. p. 150 et 150).

2. V. Didot, p. 152.

conciliavit (1), discipulos habuit, Ibi Germanum Brixium, Budæo et Erasmo amicissimum Græcâ linguâ erudivit, a quo præceptor ac veluti parens meritâ gratiâ nominatur (2). Ibi Erasmum si non discipulum, at non certe superiorem nomine aut famâ habuit.

Sed veterum codicibus edendis plurimam nec non utilissimam operam dedit. Nullum opus quinquennio illo ex Aldinâ officinâ vel prodiit, vel fuit præparatum, quin illi Lascaris, si non manum admoverit, at certe scientiam in deligendo codice, judicium in corrigendo, constantiam in labore perficiendo adhibuerit. Neque Aldus erga Lascarem ingrati fuit animi. Est in plerisque ejus præfationibus mentio quædam Lascari honorificentissima, sicuti quum eum propter sermones Platonis apud Atho montem detectos, virum unicum omni scientiâ et virtute ornatum; vel quum in oratoribus Græcis qui eodem anno 1513 in lucem prodiere, virum cui nullus par æquari possit, conclamat (3).

1. Hodius (p. 269). — Lascarem J. Parrhasius appellat « virum ad promovendos homines natum ». Exstat etiam Parrhasii epistola, jucunditate plena quâ a Lascare petit, ut litem cum Politiano decidat de versibus quibusdam Virgilianis, prave a Politiano interpretatis (cf. Tiraboschum, t. VII, p. 1091).

2. Ita hæc Germanus Brixius Erasmo commemorat: « Concedis enim, et hoc quoque nobis, ut tibi interim aurem vellicantes, memoriam paulisper refricemus consuetudinis illius atque amicitiæ veteris quæ nobiscum olim Venetiis intercessit, dum ego sub Jano Lascare meo (cum dico meo, præceptorem ac veluti parentem optimum intelligo) vixdum Latinis litteris initiatus, græcis operam novare auspicarer, tu in ædibus Aldi Manutii singularis etiam tum eruditionis tuæ tum Græcæ tum Latinæ egregia illa atque inculpata specimina, Diis hominibusque plaudentibus, præberes (Erasmi opera. t. III, p. 175).

3. Cf. Didot, op. cit., p. 342 et 335.

Exstat manifestius etiam hujus gratiæ documentum; nam que ei Aldus suos Rhetores Græcos A. 1508 editos dedicavit: et ad astra nomen ejus qui ab Oriente Græcos rhetores retulerat, qui tot in litteras merita collocaverat, laudibus effert. Operæ pretium est hanc præfationem fere totam inserere quæ Lascarem, quantus fuerit, quantum a coævis æstimatus probe demonstrat:

Aldus Pius Manutius Joh. Lascari oratori regio Salut. plurim. dat.

Non sum nescius inclyte ac doctis Lascaris, capturum te incredibilem voluptatem videndis hisce rhetoricis libris excusis, editisque curâ nostrâ in manus hominum. Primum quia, quod maxime cupis, ut propagetur augeaturque Græca lingua, quæ, vel incursione barbarorum, vel injuriâ temporum prope extincta, nunc reviviscit; deinde beneficio studiosorum, quando nihil magis desideras, quam quod in commune omnibus prosit. Cujus rei sum vel ipse testis. A te in hac meâ durâ curarumque et laborum plenâ provinciâ, vel consilio, vel re semper adjutus, et olim alibi, et nunc Venetiis, jam quinquennium; ubi pro christianissimo Galliarum rege integerrime simul et prudentissime legatum agis. Nam non solum facis mihi copiam librorum tuorum, quorum plena tibi bibliotheca, sed me etiam hortaris assidue, ut maturem optimos quosque libros excusos publicare. Quamobrem, placuit eos sub tuo nomine emittere ex ædibus nostris..... Es enim tu, non solum ex antiquâ

illâ Græciâ ingeniorum doctrinarumque omnium parente oriundus, sed etiam ex stirpe nobilissimâ et imperatoriâ Lascareorum, ex quâ familiâ quatuor imperatores admodum celebres fuisse traduntur, duo S. Theodori, duo item tibi cognomines Johannes; sed et doctissimus Græcorum omnium ætatis nostræ, nec non gloria decusque Græciæ. Debent igitur tibi plurimum tui Græci, debent Latini, quibus etiam exemplo prodes. Nam eorum linguam non minus calles quam Græcam. Debent manes auctorum quos in lucem tanquam ab inferis revocasti. Gaudeant qui nunc sunt bonarum litterarum studiosi, te patrono litteratorum, ac precentur, quemadmodum desideras, favere nostræ queas provinciæ; cui qui favet studiosis omnibus favet, profuturus mirum in modum non modo hujusce ætatis hominibus, sed et universæ posteritati. Ipse autem interea, quantum in me fuerit, non desistam unquam ab inceptis. Sed Jesu Deo, Op. Max. annuente pergam in dies alacrior, nullo incommodo evitato nullis laboribus....

Valè Mæcenas, ætatis nostræ,
Mæcenas atavis edite regibus. »

Nihil ad movendam admirationem simul ac pietatem aptius est eâ præfatione quam non ad præpotentem virum grandi pecuniâ, qui possit expensos nummos rependere sed ad virum tenuis census et parcum omnino, qui omnia litteris debet; qui imperatorium genus etiam litteris commendat atque honestat, qui litterarum studio meruit, ut a Francorum regè orator Venetias mitteretur. Tantus erat eo sæculo eruditorum virorum favor ! Tantam in eos gratiam cives sui et optimus quisque persolvebant !

CAPUT IV.

DE LASCARIE ROMÆ APUD LEONEM X P. M. MORANTE.

Anno 1589, ultimis Januarii diebus, Janus Lascaris, Francorum regis legatus, Patribus valere jussis, ab urbe in Galliam discessit (1). Nempe bellum iniquum et prope impium flagrabat inter Venetos et veterem eorum socium Ludovicum XII. Nec regis oratori Venetiis locus jam erat. Quo cesserit, quid egerit Lascaris, quinquennio illo (1509-1513) incertum. Non est autem credibile illum in Galliâ diu substitisse. Verisimilius est illum, postquam fractæ res Venetorum reparatæ sunt, rursus ad eos sese contulisse. Etenim Lascaris, illius regionis, quæ Græciæ imaginem quasi referebat, cupidus erat plus quam dici potest. Gestiebat præsertim eo quod apud patricios reperiebat hospitio (2), et eâ necessitudine quam cum Aldo Manutio et Neacademis iniverat. Nec tamen ullum opus isto quinquennio confectum ad nos perpevit, aut as quoquam citatur. Fuit illi quasi otium musis ac bonis litteris plenum, quum res tractandæ vacarent.

Jam vero in melius mutatur rerum facies. Jam ad pontificatum evehitur vir, quo, ut dicit Aldus tot rapinæ, tot

1. Bembus, histor. Veneta, t. I, p. 191.
2. Budæi ad Brixium epist Junii 1521 (Budæi Epist., p. 65).

cædes, tot hominum scelera cessabunt, et bella imprimis omnium malorum causa. Hoc pacis filio renovabitur mundus. Hic ille est quem afflicti, oppressi submersi promissum expectabant. Hic vir hic est, aurea condet

Sæcula qui rursus latio regnata per arva
Saturno quondam

hic ille Leo, de quo scriptum est, vincet Leo de tribu Iuda » (1). Magna igitur de Leone X P. M. exspectatio erat. Ille enim, tanquam Mæcenas quidam, si ita dicere fas est, in solio pontificali, quidquid decens erat et bonas litteras et delicatissimos animi ludos fovebat et persequebatur. Quis fuerit ejus comitatus, quot viris ingenio clarissimis frequens, quod hospitium Musis præbuerit, ne adumbrari quidem operæ pretium est.

Postquam res innotuit Leonem, pontificem Maximum factum esse, ei Lascaris scripsit cum multis laudibus, simul veterem amicitiam et necessitudinem memorans (2). Quippe a pueris eum Lascaris et dilexerat et erudierat : ei Græcarum litterarum vividum amorem incusserat. Cum Marsilio Ficino, cum Angelo Politiano, et tot insigni nomine viris laudem communicaverat hujus juvenis informati, in quo bonæ litter æ et liberales artes quasi experirentur quid possent. Neque ingrato animo fuit Pontifex. Litteris simul allatis jussit Eminentissimum virum et familiarem suum Sadoletum, responsionem, ipsius nomine, dare, qualem exs-

1. Cf. prefationem Aldinæ editionis quæ nuncupatur Rhetorum græcorum orationes (Venetiis, 1513, t. I).
2. Cf. Tirabos. t. VII, p. 1092.

pectabat Janus Lascaris qui jam iter ad Leonem inierat. Romæ igitur adfuit, anno ipso 1513, et in magnum favorem apud summum pontificem venit, eo quod ecclesiastica munera aut beneficia, obstinato semper animo respuit, nec talenti et ne sestertiis quidem, ut ait ipse, ditescendi cupidus (1) litteris solum addictus, pauper atque idem venerandus.

Neque tamen votum explere omnino potuit. Tractandarum rerum curâ districtus etiam haud semel fuit. Difficillima enim legatio ad Franciscum regem erat, quem Leo victorem prope Melegnanum reformidabat, quum pontificalis exercitus, pugnæ quasi testis, eventum expectavisset, ut cum victore conjungeretur. Episcopum Tricaricensem, subtili animo negotiatorem ad eum Leo misit, qui toto mense septembri primordia pacis paravit. Parmam et Placentiam Francorum regi tradi, haud æquo quidem animo passus est pontifex. Sed ut animum regis iratum demulceret, misit novum legatum et eum quidem Francisco gratissimum, qui capita fœderis mutuo consensu sancienda referret, Janum scilicet Lascarem. Eum rex in Galliâ noverat. Ei annuam adhuc præstabat pecuniam. Epistola quam Bembus, nomine pontificis, regi scripsit in fidem legationis, tota memoranda est. Quæ testatur in quantâ existimatione apud Leonem Lascaris fuerit.

« Venit ad te Joh. Lascaris Constantinopolitanus, observantissimus et studiosissimus tui vir et genere apud Græcos

1. Cf. Epistolam ejus ad Budœum de asse (apud Budei opuscula varia, p. 386-387).

admodum illustri, et doctrinæ optimarum artium ac litterarum præstantiâ et agendis rebus experientiâ et morum probitate, omnisque vitæ comitate plane insignis. Eum his tot tantisque de causis, et amavi omni tempore, et in Pontificatu prope quotidie ita ejus virtute sum usus, ut nemo illi mihi carior sit, nemo jucundior neque solum nos, sed universa domus nostra atque in primis Laurentius pater meus quotidiano prope in convictu illum habuit, hominisque familiaritate et consuetudine mirifice est delectatus. Quare gratissimum mihi feceris, si, præterquam quod is tuo in ære jam pridem est, quodque valde dignus est, qui abs te diligatur, meâ etiam causâ arctius benignitate illum tuâ et liberalitate fueris complexus, ostenderisque ei meam apud te commendationem plurimum valuisse » (Romæ) (1). Inde fœdus utrinque post paucos dies Viterbii sancitum est.

Hujus igitur legationis tam feliciter expletæ, merces meritissima Lascari adfuit. Etenim Romam redux, in splendidissimâ domo, quam cardinalis Sedunus in Esquiliis habebat, jussu Leonis ipsius sedem collocavit, ubi pulcherrimarum ædium elegantiâ et hortorum amænitate et silvâ viridissima suis cum libris oblectare sese posset (2). Quam quidem domum Lascaris non diu occupavit. Sed mox salubrioribus ædibus atque melius sitis mutare gestivit. Quippe summus pontifex, Lascare auctore, grande quiddam animo jamjam meditabatur. Ex quo tempore Græcia a sævis-

1. Bembi Epist. pontif. tib. XI, Ep. 5 (nonis octobris 1515).
2. Bembi Epist. pontif. l. XIII, Ep. 19 (octobris 1516).

simis Turcis occupata fuerat, jam omnis oppressa humanitas, et tanquam Cimmerianæ tenebræ factæ. Nulla jam erat schola, nullus grammaticorum, nullus rhetorum aut philosophorum ludus, nullum musis consecratum domicilium, quo se reciperent juvenes litteris et bonis artibus informandi, At ili animo cæci, nec quidquid bonum et sublime est noscentes, jumentorum ritu in segnitie et immanitate torpebant. Lascaris perniciem litterarum Græcarum et quasi interitum tot animorum ægre ferens, summo pontifici pueros nobiles et Græciâ accire suaserat, ut ab eminentissimis magistris utramque linguam discerent et ad humanitatem instituerentur.

Jam anno 1513, Marcus Musurus Cretensis, qui Romam simul atque Lascaris ipse venerat, in Græciam missus a Leone fuerat, eo mandato, « ut diligentem susciperet curam adducendi e Græciâ decem, aut duodecim, aut sane quot vellet ipse liberalis ingenii bonæ que indolis pueros, unde Latinis hominibus linguæ illius verus germanusquè usus rectaque cognitio et tanquam seminarium quoddam bonorum studiorum commode confici et comparari posset. » Et in fine epistolæ, Leo X papa indicabat Joh. Lascarem, propter suas virtutes et multam in litteris doctrinam sibi valde charum, eidem Musuro scripturum esse, ut eâ de re pluribus verbis ageret (1). Quum ille igitur ab eâ legatione regressus est, cum ingenuis adolescentibus gymnasium Græcum a Leone X in Quirinali monte conditum est, ubi

1. Bembi Epist. pontif., liv. IV, Ep. 8 (8° idus Augusti, 1513).

purior aer est et melius ad bonam advenarum valetudinem accommodatus. Ei Lascaris præfectus est, et leges quasdam conscripsit, quibus uterentur collegium istud adituri (1). Hi nempe adolescentes, discipuli primum, postea magistri futuri erant. Magna in illis spes sita erat, fore ut illi præceptores linguæ Græcæ evaderent, ne linguâ Græcâ scite loquentium soboles interiret.

Gymnasium igitur instituit Leo papa, quale fuerat olim Bessarionis gymnasium, venetiis conditum, ubi Lascaris ipse institutus erat; quale fuerunt postea Cyprium et Cottunianum et Venetum, quo juvenes Græciâ advecti, Patavii ad humanitatem informabantur (2). Lascareum vero gymnasium Græcis licet destinatum, egregios etiam cujusque nationis juvenes accipiebat, quo altius Græcæ linguæ scientiam haurirent, et melius linguam ipsam pronuntiarent. Ita cum Matthæo illo Corcyrensi (3), Christophorum Longolium, Francum illustri genere reperimus qui Græcas diciplinas apud Græcorum eloquentissimum, Lascarem scilicet, adversantibus frustra amicis, delibare parat, et a Budæo Jano Lascari vehementissime commendatur (4). Hic, Henricus Glareanus in Græcis litteris eruditur, cui Erasmus ipse consuetudinem cum Jano Lascare vehementer gratulatur (5)

1. Lascaris ad Budæum Epist. de asse (Budæi opusc. varia, p. 386-387).
2. V. Papadopulum (hist. Gymnasii Patavini, t. I, p. 37).
3. Bœrnerus, p. 205.
4. Budæi Epist., p. 17.
5. Non est ille (Lascaris) sui dissimilis. Semper candidissime favet bonæ spei ingeniis. Utinam eum virum Deus, juvandis optimis studiis, quam diutissime superstitem esse velit (Hodius, p. 257).

Paucissimos tamen inde egressos juvenes citare est. Quippe Græci postquam adoleverant et ad bonas artes informati erant ad patriam quamvis pauperem et jacentem remeabant. Juvenes autem qui a qualibet regione in gymnasium illud confluebant tantillum ibi temporis permanserunt, donec satis in Græcâ linguâ et eruditione profecerint.

Quod si gymnasium illud operibus ibi confectis vel solum paratis æstimamus, quæ materia, quis in tam exiguo tempore labor! Nempe, duce Jano Lascare adjuvantibus et Marco Musuro et excellentissimis magistris, quisque scientiam et operam in commune afferebat. A. 1517 quum vix abhinc duobus annis collegium staret, Lascaris scholia Græca in Homerum una cum Homero ipso Romæ publici juris fecit, hoc titulo inscripta: « Lectori. Homeri interpres pervetustus infinitis prope modum malignitate temporum laceratus plagis, Mediceorum, olim Quirinalis, jam Caballini montis, gymnasium adii, ibique haud parvo negotio in integrum restitutus purus nitidusque ac mille fratribus auctus matris fecundissimæ chalcographorum artis beneficio in lucem prodeo. Debes id quoque, lector candide Leoni Pont. Maximo, cujus providentiâ ac benignitate gymnasium nuper institutum viget; frugisque bonæ testimonium perhibens, bona sua studiosis perquam liberaliter impertit (1). » Addit præterea duo epigrammata in Homerum et commen-

1. Hodius, p. 254: hæc editio rursus Venetiis a 1528 impressa in nostrâ nationali bibliothecâ exstat. Sed ea, duo tantum epigrammata, non illam præfationem, continet: hic est titulus. « Interpretationes et antiquæ et utiles in Homeri Iliada nec non in Odyssea. »

tatores eodem volumine editos. Quæ fuerit Lascaris modestia inde conjectari potest, quod librum suum non se ipsum inducit loquentem, non omissâ tamen gymnasii mentione, quia opus communi labore effectum fuerat.

At Leo qui sese litterarum patronum profitebatur, privilegium addidit ut opus commendaret, et ne quis, decennio proxime futuro, eos ipsos auctores typis imprimere posset. Quod si quis contra mandatum pontificis ageret, eum universæ Dei ecclesiæ toto orbe terrarum expertem, excommunicandumque esse (1). Neque tamen ea quidem pœna quantumvis gravis ac formidanda esset, retinere litteratos viros poterat. Et Tacitus, ex codice Corbeiæ reperto impressus, quem Leo X papa unicum sub eâdem pœnâ volebat esse, rursus editus est. Nec pontifex editorem pœnâ mulctare, patrium in omnes litteratos viros animum gerens, sustinuit (2).

Sub Didymi nomine hæc scholia pervulgavit. Quæ pervetusta certe sunt et Alexandrinam scholam quasi redolent. Ex Alexandrinis etiam, haud multo post, A., 1518, Lascaris Porphyrii quæstiones Homericas in lucem produxit, et de nympharum antro libellum ; quæ opuscula ab inimico fidei christianæ olim scripta, Leonis X tamen beneficio ex tenebris eruta et impressa sunt in gymnasio Mediceo, ad Caballinum montem, præfixo Lascaris in Porphyrii quæstiones, epigrammate (3).

1. Hodius, p. 255.
2. Cf. Audin, vie de Léon X, t. II, cap. 4.
3 Bœrnerus, p. 207.

Eodem tempore, Lascaris in honorem Aldi illius, quem matura mors litteris rapuerat, promissa ejus de Sophocle peragere statuit. Percelebri editioni e typis A. 1502 prolatæ commentarii non additi erant, quos nemo adhuc evulgarat. Lascaris Sophoclem quondam, Florentiæ in publico gymnasio diligentissime erat interpretatus. Romæ, cum suis Græci gymnasii discipulis, operam assiduam et vigilias communicavit, ut in antiquum splendorem Sophocles restitueretur. Et quum in publicum jamjam operis textus prodiisset, scholia et commentarios seorsim edidit. Nec unciacialibus, ut pridem Florentiæ, sed minusculis, et ut ita dicam cursivis litteris opus impressum est, addito solum uncialibus litteris Lascaris in Sophoclem epigrammate (1).

Magna igitur præmia ex liberalitate pontificis et uberrimos fructus Lascaris percepit. Quippe illi omni tempore patebant palatii Vaticani fores. Patebat illa percelebris bibliotheca, tot codicibus pretiosissimis referta. Locum assignatum honoris causâ in omnibus cærimoniis habebat, Stipe annuâ et amplâ donabatur, præter ea munera, quæ, quâcumque de causâ, summus pontifex addebat. Quin, Leo ipse Papa, interdum suos alumnos, studiosam Græcorum juventutem adire gaudebat, ut excitaret animos ad studia,

1. Id opus hoc titulo evulgatum est : « Commentarii in VII tragædias Sophoclis, quæ ex aliis ejus compluribus injuriâ temporum amissis, solæ superfuerunt. Opus exactissimum rarissimumque in gymnasio Mediceo Caballini montis a Leone Pont. Max. constituto recognitum repurgatumque atque ad communem studiosorum utilitatem in plurima exemplaria editum, non sine privilegio, ut in cæteris » — hæc Scholia, denso prorsus volumine CCC circiter paginarum continentur. Quod opus in nostrâ nationali bibliothecâ exstat.

et aculeos eis subderet et Ianum Lascarem merito prosequeretur honore, Vere Mæcenatem illum dicere est, qui litteris fovendis, non magnam solum conferebat pecuniam, sed et eruditis viris incitamenta, blanditias, honores, effuso et grato animo præbebat. Lascarem ita magnificenter tractavit, ut ille omnia ecclesiastica munera adipisci potuerit, omnia recusaverit.

Lascaris, Græcos, qui, ut Clemens Rhodius metropolites Romam veniebant, Papæ commendandos, summâ diligentiâ suscipiebat (1). Ipse utebatur familiaritate Beroaldi, qui Vaticanæ bibliothecæ præerat. Vivebat cum M. Musuro, cum Bembo et Sadoleto. Arctissimis amicitiæ vinculis cum Jano Parrhasio jungebatur, qui Romæ litteras docuit 200 nummorum pretio. Hieronymum vero Botigellam utriusque juris professorem, Camillum Portum, quem ut amicum discipuli mortuum deflevere, Basilium Chalcondylem, Augustinum Valdum, doctissimum Græcæ linguæ professorem, qui quum Græcum vestitum indueret, Græcus ab omnibus vulgo dicebatur, non quasi æmulos, sed ut amicos frequentabat diligebat, apud summum pontificem commendabat, omnium ipse princeps ac pene patronus (2).

1. V. Bembum, lib. X, ep. 34 : « Fabricio, magno Rhodi magistro, Clemens, Rhodius, Metropolites, tumtuâ, tum vero maxime Joh. Lascaris familiaris mei, docti hominis, commendatione et gratus mihi est, et probatus, sic ut eum item tibi ipse, ejusque res commendare facile statuerim. »

2. Leo X papa omnes eos viros Romam donis maximis, vel ecclesiasticis muneribus pellexerat ; et si quis forte resisteret, ipse litteras mittebat, tantæ jucunditatis plenas, ut nemo tam obstinatam gratiam recusare auderet. Est, inter omnes hujus generis, epistola insignis quam Nicolao Leoniceno scripsit (Bembus, lib. X, ep. 27). Cf. Audin, *op citat.*, t. II, ch. IV t. V.

Quæ fuerint hujus Græci gymnasii fata, haud plane certum est. Quamvis nullam hujus mentionem habeamus post annum 1518. credendum tamen est illud, Lascare profecto, non omnino evanuisse. Quod si Lascaris in Galliam invitaretur, ut collegium ejusdem generis institueret, non est dubitandum Quirinalis montis collegium ita prosperum evasisse, ut ab incunabulis exiret et quasi certo incederet gradu. Qui aliter intelligi possit, Leonem X Lascaris exilium tulisse? Neque diu Lascaris, sicuti posterius demonstrabimus, in Galliâ moratus est: et Romæ, extremâ senectute confectus sub Clemente VII vixit. Quo alio retentus incitamento, ne Venetias, quam omnium plurimum civitatem diligebat, commearet, nisi ut collegium suorum Græcorum paterno animo foveret atque curaret? Quanquam ex quo tempore Lascaris Româ exsulavit, collegium istud paulatim exolevit. Nullum inde opus jam ortum est; nullus codex in Mediceo Gymnasio Caballini montis, ut antea dictitum fuerat, impressus, ad communem studiosorum venit utilitatem. Illud cum Lascare ipso circiter, vel etiam cum Clemente VII papâ, situ obsitum, periisse verisimile est, quum jam Ecclesia Catholica reformaretur, et profanæ litteræ in Italiâ respuerentur; quum, quidquid Græcum erat, pontifices summi, velut hereticum rejicerent atque aspernarentur.

CAPUT V.

LASCARIS FRANCISCUM REGEM IN RESTITUENDIS DISCIPLINIS GRÆCIS ADJUVAT.

Anno 1518, Erasmus audiens ex Paulo Bombasio Lascarem in Galliâ nunc agere, demiratur « quæ res eum a Româ potuerit avellere, præsertim Leone præsidente rebus ac studiis » (1). Lascaris, quanquam jam tertium et septuagesimum annum natus, iter longinquum non reformidarat; longam vitam et bonis artibus omnino occupatam egregio facto consummare et quasi consecrare sibi proponebat. Hac erat enim tunc mente, ut, quod jam in Italiâ, tanto studio effecerat, Græcam linguam in Galliâ doceret atque evulgaret. His artibus fortasse sperabat fore ut auxilium Francorum ad sanctam in Turcas expeditionem impetraret. Ergo post Laurentium Medicem, post Leonem X papam, illustres ambo et magni nominis patronos, illustriorem alium, cui nullus par æquari in totâ Europâ poterat, habuit Franciscum I, scilicet, regem Galliæ et litterarum in Galliâ instauratorem.

Lascaris Francos ubique semper et convenerat, et dilexe-

1. Opp. Erasmi, t. III, p. 375.

rat. Neminem vero in Galliâ quantum Budæum coluit. Ei discipulo, Carolo VIII regnante, magnum Græcarum litterarum studium injecerat. Eum immitem et rigidum amicum, si forte litteras diutius paulo expectatas requireret, epistolâ quâdam amicissimâ. Lascaris sedare atque fovere solebat. Neque unus e multis erat Budæus, sed jam spectatus vir, et inter primores aulæ regiæ et apud principem valde gratiosus. Proinde erat tunc Budæus ex illo parvo globo, qui regi renascentium litterarum amorem communicabant. Inter quos Gulielmus Parvus, regius confessor, Gulielmus Copus, regius Medicus, Stephanus Poncherius, Parisiensis episcopus, annumerandi sunt. Iis omnibus favebat etiam illa, quasi Musa, poetis et litteratis viris semper præsens Margarita regis Soror, et cum illo arctissimâ familiaritate a teneris annis conjuncta (1). Ii omnes regi viros eruditos et omni bonæ arti addictos commendabant, et ex quâcumque natione in Galliam arcebant. Frustra renitebantur Noël Beda et tota Sorbona; frustra veteres discendi et docendi rationes, quamvis vanas et exolescentes, acriter defendebant. Litterarum defensores præpollebant et benignius in dies audiebantur.

Quum rex tali animo erga litteras et litterarum patronos esset, non fuit difficile ei persuadere, ut collegium regium ad linguarum veterum cognitionem conderet. Anno 1517 Hieron. Buslidius multa millia ducatorum legaverat ad institutionem novi collegii apud Lovanium, in quo publicitus

1. V. Goujet, *Mémoire sur le collége royal*. — Rebitté Guill. Bud. passim.

et gratis tres linguæ, Hebraïca, Græca et Latina traderentur. Apud Germanos ipsos, in concilio Borbetomagensi (A. 1495) electorum quisque juramento sese obstrinxerat ut singuli singulam Scholam crearent, quæ recens aperta, a studiis Scholasticis deflecteret, et novi doctrinis largum daret aditum. Et eâ ratione (An. 1502) Wittembergensis Academia fuit instituta. Quidni Franciscus rex præpotens in Galliâ qui summo cum imperio omnia regebat, aliquid tale etiam constitueret? Quidni æmulam Parisiensis universitatis scholam aperiret, regiam dico scholam, cujus ab ipso rege professores et eligerentur, et stipendium acciperent, qui assiduâ regis tutela veteres disciplinas renovarent et antiquitatis studium juventuti et toti sæculo inculcarent?

Omnium primum Franciscus rex Româ Lascarem multis præmiis et datis et promissis accivit, auctore Budæo et ejus amicis. Neminem enim inter Græcos doctiorem utrâque linguâ, neque scientiâ excellentiore ornatum, noverant. Nec mora; venit Lascaris, utrum Leone X papâ hortante an invito, incertum. Id licet conjectare Leonem, Francisco rege obnixe petente, tandem consensisse ut profisceretur Lascaris, sese rediturum pactus, quum collegium Parisiense constituisset.

Nec fusius indicare operæ pretium est, quo pacto in aulâ Francisci regis adeo excultâ et politâ exceptus sit; et facile est conjecturâ assequi. Cum omnibus Budæi amicis vixit familiariter et ab iis benignissime auditus est. Candido ingenio, piis moribus et egregiâ doctrinâ, non iis solum qui litteras fovere profitebantur placuit, sed his etiam ne-

gotiosis viris et in curâ rerum publicarum implicatis. Claudium et Franciscum Robertetum fratres, ut Jacobum Tusanum et Stephanum Poncherium familiariter adiit. Præter multos alios, Petrum Danesium et Carolum Stephanum discipulos habuit. Eis Græcæ linguæ præcepta tradidit atque ita illustrissimos Græcorum scriptores explicuit et commentatus est, ut mox Græcam linguam ambo optime callerent: et Lascaris ipsius postea famam prope adæquaverunt. Is enim Danesius et litteratus vir, et simul rebus publicis intentus, inter professores regii collegii (A. 1530) primus omnium adlectus est, ut Græcas disciplinas doceret. Carolum autem Stephanum, ex illâ Stephanorum familiâ ortum, postea cudendis arte typographicâ libris deditum, duo et nonaginta opera publici juris fecisse certum est, quorum litteræ et emendata lectio supra modum sunt laudandæ (1). Quin, Lascarem, qui Aldinæ officinæ assiduus contubernalis et corrector fuerat, regi Francisco typographicam artem probavisse verisimile est; et qui Stephanorum gentem assiduo commercio et mutuis officiis sibi devinciebat, qui tot scriptores Græcos Florentiæ uncialibus litteris impresserat, primam forsitan regi et Stephanis cogitationem injecit, typos litterarum Græcarum perfectissimos excudendi, quos postea Garamundus ex Angeli Vergetii figuris atque manu sculpsit. Lascaris enim in Galliam omnia quæ antea in Italiâ floruerant traducere nisus est, ut ibi etiam bonæ litteræ adolerent et vigerent.

1. V. Egger Hellénisme, etc., t. I, p. 145 et Rebitté, opt. citat. p. 65-73.

Jam vero Lascaris bibliothecis quæ litteratorum virorum sunt quasi armamentaria, multam et perutilem operam semper navaverat; et supra vidimus quot in Mediceam bibliothecam merita contulerit. Item fecit in Galliâ; cum Budæo, qui jam præfectus a rege electus fuerat bibliothecæ isti, Fonte Bellaquæo nuperrime conditæ, operatus est. Huc a Blæso multos et pretiosissimos codices transvexit; et Franciscus I codicum qui Blæsi servabantur a confessore suo et capellano Gulielmo Peruy, indicem scribi jussit, auctore forsitan Lascare, ut inde ii codices Fontem Bellaqueum migrarent; quæ translatio, A. 1544 solum, confecta est. Quo in indice notatos reperimus : 1° novem et triginta codices Græcos, quos Ianus Lascaris Neapoli in Galliam, Caroli VIII tempore asportaverat, ut Blæsi collocarentur; 2° quosdam libros, Appianum, Xenophontem, Diodorum Siculum, quos Lascaris a Græco in Latinum traduxerat (1). Et plures alios codices Græcos his annis etiam traduxit : ut quosdam Diodori Siculi libros (2), et Polybii de Romanorum castrametatione fragmentum (3).

1. Cf. Mémoire historique sur la biblioth. du roy. apud catalog. des Imprimés (1739 f° t. I, p. IX et X). — Michelant, catal. de la bibl. de François Ier à Blois en 1518 (apud *Rev. des Sociétés savantes*, 2e series, t. VIII, p. 511 et 618).

2. Cf. Epistolas Budæi ad Lascarem, p. 90 et 93 et seq.

3. Hæc translatio exstat in nostrâ Parisiensi bibliothecâ (codic. Græci, n° 6124), at initium corruptum et perditum est; ex 32 foliis constat. De eâ versione multa et admodum laudatoria in multis scriptoribus inveniuntur : « Ianum Lascarim difficillimam partem scriptionis Polybianæ facere Latinam esse ausum, illis præsertim temporibus magnum fuit; multumque veræ laudis eâ, quamvis brevi opellâ, præstantissimus ille vir, me judice, meruit. » (Isaacus Casaubonus). « Ianum Lascarim in converso Polybio, exiguo quidem, at totius operis longe difficillimo fragmento, sæpenumero

Auctor præterea fuit, ut rex Franciscus multos magnæ eruditionis et auctoritatis viros, huc et illuc mitteret, ut undique codices, quâcumque linguâ, sed maxime Græcos colligerent. Et studio Græcorum librorum adeo Franciscus rex arsit, ut cæteros omnes, si non omnino respuerit, certe minoris existimaret esse pretii (1). Ita bibliotheca, Fonte Bellaqueo condita, Parisiensi bibliothecæ paulatim æmula facta est. Quod satis demonstrat index ab Angelo Vergetio et Constantino Palæocappâ (intra annos 1544 et 1554), conscriptus. Sed ea bibliotheca, regnante Henrico, IV (intra annos 1589 et 1593), Fonte Bellaqueo Parisios allata est, ita ut, Lascaris, quamvis inscius, ad ditandam et in majus etiam amplificandam nostram Parisiensem bibliothecam, pro virili parte, operam contulerit (2).

Gymnasii tamen fama luculenta et magna exspectatio excitabatur. Jam spes ingenua studiosos viros et litteris deditos invaserat, fore ut illis collegium tamdiu optatum auspicato tandem, regis ipsius jussu et subsidiis, fundaretur. Budæus regem quotidianis sermonibus sollicitabat; Lascaris regi omnia, quæ in Quirinali monte a Leone creata

demirari soleo. » (Huetius de claris interpretibus). Hæc et quædam alia Hodius refert (op. citat. p. 273).

1. In opere supra citato (Mém. histor. sur la biblioth. du roy., p. X), nomina, reperimus eorum quos Romam et Venetias rex ut codices referrent, misit : Hieronynum scilicet Fondulum et tres episcopos : Ioh. a Pinis, et Georgium a Selvâ et Gulielmum Pellicierum. Præterea Antonius, Eparchus Corcyrensis, et Franciscus Asulanus, Venetiis bibliopola, et Aldorum familiæ affinis, et Angelus Vergetius, multos et pretiosissimos libros undique quanti quanti emerunt.

2. Bibliotheca quæ Fonte Bellaqueo etiam nunc exstat recens admodum a Napoleone I condita est.

fuerant, singillatim percensebat. Roberteti et ii etiam, qui regi generis conjunctione propinqui erant, incepto favebant. Rex qui ad præclaras res expeditissime festinabat, ad collegium ipse condendum trahebatur et optimum quemque concitabat (1). Omnium voto et regis ipsius voluntate J. Lascaris ut futurus illi collegio præfectus designabatur. Quem enim alium rex elegisset, aut majoribus clariorem, aut doctrinâ magis ornatum, aut qui melius ad novum collegium quasi tutandum nascens et educandum et augendum, naturâ et experientiâ rei comparatus esset (2)?

In tantâ igitur rerum opportunitate Lascaris amicissimâ epistolâ ab Erasmo Rotterodamensi Lovanium evocabatur. Petebat saltem Erasmus ut Jan. Lascaris virum Græcum indicaret, qui salario satis magnifico, quod tamen augeri posset pro ratione personæ, Græcam professionem susciperet in collegio a Buslidio instituto : « Meum consilium semper fuit, inquiebat Erasmus, ut asciscerétur Græcus natus, unde statim Germanam Græci Sermonis pronuntiationem imbibant auditores : ac meæ sententiæ subscribunt auctores hujus negotii omnes; mihique mandarunt, ut suis verbis accerserem quem judicassem ad hoc negotii idoneum (3). » Lascaris sibi eum honorem recusavit,

1. V. Budæi, Epist. A. 1518-1521, scriptas præsertim, p. 97.

2. .... Quod eum (Lascarem), ex cunctis vestri generis hominibus de sententiâ doctissimorum delectum, princeps noster Franciscus accersendum esse censuerit, ut Musæo quod, in hac urbe longe omnium principe, multo celeberrimum speramus excitatum iri, velut alter Apollo, præsideat. » (Jacobus Tusanus Angelo Lascari; apud Hodium, op. cit. p. 258).

3. Quæ epistola (A 1518 scripta) exstat in Erasmi opp. t. III, p. 128. Quod si Lascaris ipse Lovanium exsulasset, Germanam pronuntiationem

neque Græcum ullum Erasmo indicavit, quum eo tempore Rutgerus Rescius Lovanii Græcam professionem susceperit.

At contrà, pro solitâ benevolentiâ Lascaris etiam Erasmum in aulam Francisci regis trahere enixe tentabat. Instabant etiam et Stephanus Poncherius, et Gulielmus Copus, et Budæus. Quod si, cum Lascare et Budæo Erasmus etiam Parisios convenisset, quæ litterarum amplificatio! Quantâ industriâ novæ disciplinæ fuissent constitutæ! Et ipse Franciscus manu suâ Erasmo scripsit. At ille, hærens animo, et suspensus, ad Carolum V potius trahebatur; cujus electionem ad imperium summo cum consensu et plausibus excepit. Francisco igitur regi, mille florenos aureos pollicenti sic, ut ipse ait, respondit, ut nihil tamen certi responderit (1). Erat vir ingenio prudenti et circumspecto, qui, suis legibus et judiciis vivere ante omnia cupiens; nunquam libertatem aulico vivendi generi mutare voluit (2). Henricum Glareanum, Helvetum quem designaverat, ut vices ipsius expleret, et collegio præficeretur, rex non admisit. Etenim Lascarem, Henrici Glareani ipsius in Italiâ magistrum, nulli postponere in animo habebat. Ille condendo gymnasio et dirigendo idoneus et affatim par erat

Rex, ut quidquid Romæ a Leone X effectum erat plane imitaretur, Lascarem (A. 1520), Venetias misit, ut adolescentes excellentis ingenii, e Græciâ accerseret, et

linguæ Græcæ vel Erasmo ipsi forsitan probavisset. Neque Erasmiana dicta pronuntiatio ad posteros esset tradita.

1. Budœi Epist. p. 175.

2. De eâ omni negotiatione cum Erasmo. Cf. Goujet op. citat. p. 16-19. Rebitté de Budæo, cap. IX.

Parisios curaret advehi. Hoc iter Lascaris summo cum gaudio fecit. Misit in Græciam homines qui d e adolescentium delectu agerent. Quanquam diutius forsitan, quam opus erat, Venetiis moratus est; imprimis qu ia ei quotidiana communicatio erat bibliothecæ hujus percelebris apud Sanctum Marcum à Bessarione conditæ (1). Ex hac pretiosissimos codices Græcos Arriani et Diodori Siculi, regiæ bibliothecæ Parisiensi ornandæ, magnis sumptibus emit (2). Etenim Lascaris sui memoriam apud regem et aulicos refricandi cupidus, plus quam dici potest, erat.

Lascaris igitur Budæo mittit quaterniones, qui quosdam Diodori Siculi libros, in Latinum versos, continent. Duos primum libros, mox sex alios mittit. Budæus occasionem aucupatur litteras regi enarrandi: « Ipse quidem nescio quot, sane dies regem observavi, sicubi ipsi in animum subiret eruditis vacare auditionibus. Fortunâ autem nobis tandem secundum quemdam successum concedente, circa cœnam ipsius, quod decreveramus aggredi, primum auspicati sumus et postquam est ingressus quidem a cœnâ statim in cellam interiorem, simul ingressi sumus ipsi cum paucis. ..... Progrediente jam recte nostro colloquio in quam desiderabam rationem ipsum irrepere.... rex quidem sermonem interpellans suoque loco respondens me animadvertendo interrogavit, qualis inquit, est, o Budæe, ista litterula, quam in manibus habes? Me autem dicente esse a

1. Budæi ad Brixium epist. p. 65.
2. Valentinellius. Bibliotheca Manuscripta ad sancti Marci Venetiarum, t. I, p. 42.

Lascare, qui nunc est Venetiis, ob commissum sibi puerorum delectum, ille autem statim imperavit ut perlegerem; prius quidem ipse, a me tacente, concessam eidem epistolam accurate intuens, deinceps simul atque cognovit, se eam legere non posse, eam mihi reddens, jussit percensere. Me itaque cupide morem gerente, quodque scriptum erat facile recensente dehine explicante perspicue, nec non ostentabunde, rex inquit se suscipere et admirari, me haudquaquam interturbatum in lectione atque explanatione. Illi porro qui circumstabant eam ob rem obstupescentes demirari istud asseverabant, gentis nostræ virum, tantam experientiam litterarum Græcarum Latinis insuper acquisivisse » (1). Nescimus quid sit in istâ narratiunculâ magis admirandum, Budæi ne ingenua superbia, quod epistolam Græcâ linguâ sciptam ita legit, an Francis ciregis humanitas, atque summa erga litteratos viros benevolentia. Id saltem certum est neminem unquam a Francisco rege, ut litteratos viros, et inter litteratos, ut Lascarem, honorifice acceptum aut cumulate tractatum esse. Quo magis desiderandum est, quod nemo nostri Lascaris litteras adeo candidas et venustas collegerit ut piâ manu in posteritatem traderet.

Paucæ tantum emerserunt ejus litteræ, collectaneis quibusdam insertæ familiares admodum, nec quæ illustrare totam ejus vitam possunt. Duas habemus hujus temporis, quibus amicos vehementissime commendat, et quæ sunt benignitatis ejus quasi monumenta. Alterâ ad Budæum

1. Budæi Epist. p. 94 et 95 (Junii mensis duodecimo die 1521 ex Divione in aulâ).

græce scriptâ Janum Forestanum magnis laudibus tollit: « Is commoratus est ab ætate juvenili Romæ Florentiæque et apud me, et evasit peritus proprietatis linguarum quibus Græci utuntur et Itali et facundi videlicet, et vulgares..... Tu vero ipsum tanquam notum et pro tuâ ipsius consuetudine et vestratem, eloquentemque et ingenio pollentem ac tui Lascaris congerronem excipies propense et candide. Si vero etiam curam ac sollicitudinem haberet rex, quemadmodum mihi præsenti videbatur, filios suos Græcæ eruditionis participes fieri, id ipsi adolescenti conficies....., si forte detinueritis hunc magistrum Græcæ locutionis pro regis liberis, apprime idoneus cum sit, sicut etiam tibi ipsi facillime fuerit perspicuum, ex ipso periculum si feceris (1). » Facile credimus futurum fuisse ut Franciscus suos liberos Lascari committeret, si præsens in aulâ mansisset. Jano Forestano non commisit, sed magnas legationes et perdifficiles ei, auctore Lascare, dedit. Quippe Janus ille Forestanus, quod infandum erat, his temporibus, et vix intelligi poterat, ad Sultanum Suleimanum legatus primum missus, hæc fœdera cum eo spopondit, quæ Francis per totas orientis regiones, tutam navigationem, tutas mercaturas paciscebantur.

Alterâ epistolâ Italice scriptâ Lascaris, Italo principi, quem majestatem vocat, Petrum Castellanum, omnibus virtutibus ornatum, et geometriæ scientiâ clarum commendat, qui etiam magnorum auctorum tractatione versatus,

1. Bud. Epist. Græcæ per Anton. Pichonium Latinæ factæ p. 146-147.

Latinam linguam callet, Græcam non ignorat, et Italicam discere cupit. « Erit tuus quum volueris, quando eum benigne tractabis, et filiis tuis utilissimus erit, quos disciplinis et humanitate informare possit (1). » Idem est ille Petrus Castellanus, qui, postea, in Galliam redux, lector Franscisci regis evasit (A. 1530), solus homo, ut rex sæpius dictitabat, cujus eruditionem toto anno lassare non potuerat. Ille institutionem regii collegii et tutatus est apud regem et curavit ut augeretur et omnibus numeris absolveretur. Ita Lascaris noster juvenes studiosos diligebat, tuebatur, promovebat. Ita in isto sæculo, quoad vixit, nihil magnum nihil quod ad protrahenda studia comparatum erat, eo absente, confici, potuit.

Utrum unquam in Galliam appulerint acciti ab eo adolescentes Græci, necne, in dubio est. Lascaris nihil omisit ut voluntati regis obsequeretur; et Budæus et Stephanus Poncherius et Gulielmus Copus cælum ac terras miscebant, ut gymnasium tandem aperiretur, et quale regem Francorum decebat, egregiis professoribus et amplissimis facultatibus ornatum, quod omnes Europæ reges, exemplo, ad æmulationem provocaret. Et philologia et eruditio, jamjam in aulam Francisci regis introibant. Et ille condendi gymnasii cupiditate flagrabat; ad id acriter animum intendebat. (A. 1520) Budæus magnâ spe exsultabat. Jam theologorum factio quæ rei adversabatur victa erat. Jam multus de

1. Hanc epistolam Venetiis reperimus in parvulo volumine quod inscribitur Bernardino Pino nova Scielta di lettere (Venetiis 1582). Est apud tom. I, p. 165.

hac re sermo industriam mirificam et egregiam studiosis adolescentibus inseverat.

« Sed tantam exspectationem nostram ad universam litteratissimorum familiam attinentem et pertingentem hujus temporis manifesta perturbatio, per multas nationes permeans, nunc cessare fecit, et singularem Franscisci regis voluntatem ad tempus sopivit; non enim dixerim quod exstinxerit (1). » Non enim exstinxit et collegium illud regium, quod etiam nunc inter celeberrima totius Europæ gymnasia viget et floret, creatum tandem (A. 1530) est. Sed quam humili initio, et quantulis sumptibus! Neque Lascaris, qui ad excitandum regem omni ope atque operâ intra annos 1518 et 1521 enisus fuerat, potuit A. 1530 huic gymnasio præfici, et ne inter professores regios quidem annumerari. Quippe qui, senio confectus, jam ad finem vitæ vergeret; et ejus gloria nomine eorum obcæcata est qui rem ad eventum protulerunt. Adeo multi sementem faciunt quam perpaucis metere contingit!

1. Budæi ad Lascar. Epist. p. 97. Et in alterâ ad Germanum Brixium (ex Divione 19° die Junii mensis 1521). « Gymnasia elapsi anni jam tibi cassa irritaque abeunt: de quibus certe fama luculenta et exspectatio excitata est; turbarumque causâ subito jacuit et sollicitudinibus militaribus omnia nunc morantibus inhibentibusque » (Bud. Epist. p. 66).

CAPUT VI.

LASCARIS SENECTA ET MORS

His miseris ac luctuosis temporibus, arma inter se primum movebant duo potentissimi reges totius Europæ Carolus V imperator et Franciscus I. Latuit primum discordia, mox erupit, et ubique circa fines Galliæ belli insania sœvit. Et quum Franciscus ipse rex, tot clades ulturus, in Italiam festinasset, ipse iniquo Marte oppressus, Papiæ victus est, et captivus in Hispaniam ab insolente æmulo abductus. In gravissimâ illâ belli offensione, quis litterarum luctus, quæ eruditorum virorum trepidatio! quæ surgentium gymnasiorum et bibliothecarum pernicies. Lugebat ante omnes Erasmus, qui quamvis Francisco exoranti ut Parisios veniret, morem non gessisset, tamen eum ut Musarum patrem et litterarum instauratorem vulgo celebrabat (1).

Lascaris autem eum in rebus asperis pro virili portione adjuvare statuit. Non scripsit solum, tanquam Erasmus, sed Hispaniam petiit; adiit imperatorem, omni ope contendit ut rex Francorum suis Francis et toti Europæ liber atque immunis redderetur. Quippe quum in solio Romano sum-

1. V. Colloquium quod ἰχθυοφαγία inscribitur (Erasmi opp. t. I, p. 673).

mus ipse Pontifex Clemens VII vereretur tremens ne jura et leges victoris subiret, Janum Lascarem legatum ad imperatorem misit. Et ille, Pontificis nomine, legati et senis auctoritate, gravissimâ oratione hortatus est ut pacem componeret, et ad sanctam in Turcas expeditionem, omnes vires milites, arma, conferret; habemus Lascaris de eâ re orationem, non eam vero quam coram imperatore præsens pronuntiavit: ut Cicero Verrem, brevi admodum actione, apud judices convicerat, gravibus autem et accuratissimis orationibus postea incusavit et prosecutus est; ita et Lascaris. Ejus ad nos transmissa oratio, est quasi libellus quem permanare in vulgus per totam Europam exoptar, et in luce quam maxime collocari; eam Latinâ linguâ scripsit, quæ etiam tunc per totam Europam permeabat, et rebus agendis præsertim erat idonea. Sed Latinum exemplar, perdidimus. Gallicam solum habemus versionem inter collectanea insertam (1).

Ibi Franciscum regem et Græciam, amatissimam patriam pari laude extollit et pari studio in libertatem vindicare enititur. Primâ orationis parte, Lascaris non sine quâdam superbiâ quæcumque ad liberandam patriam effecit ipse exponit: quomodo bis in Orientem a Laurentio Medice missus, Græcorum animos ad rebellionem tentaverit; quibus artibus postea Carolum VIII regem ad sacram expeditionem excitaverit; quoties iter fecerit ad invisendos et exacuendos reges; sive quum Philippi, cognomine *Belli*, consilia et

1. V. collectaneorum volumen cui titulus inest Belleforest, Recueil de harangues militaires, 2 v. 8° Parisiis 1595.

mentem scrutatus est; sive quum ipse, Tridenti, cum Maximiliano imperatore, Savonæ cum Ferdinando rege est collocutus; sive quum apud Julium II et Leonem X compluribus sermonibus et veluti perpetuâ cohortatione, dies noctesque bellum in Turcas quasi prædicavit. Quin, si mens regum non læva fuisset, nec Singidumum, neque Rhodum unquam Turcæ subegissent. Lascaris igitur non a Clemente solum Papâ, sed veluti a totâ Græciâ quorum heroes magnificentissimis verbis inducit loquentes, mittitur, ut Carolum imperatorem concitet. Nec ulla via suppetit ad pellendos Turcas ex Europâ nisi principum Christianorum concordia. Necesse esse igitur, ut imperator e vinculis Christianissimum regem quam citissime eximat, et cum eo pacem componat et eum sicuti Alexander Porum, ut regem decet tractare velit. Jam fremere Italiam; legatos Venetias, a Turcarum sultano missos fuisse, ut imperatorem una aggrederentur. Lascari credendum esse, qui per totam Europam toties iter fecerit et tot legationes expleverit jam prope centenarius. Franciscum, sororem imperatoris nubendam accepturum, ut socius ei, amicus, propinquus jamjam fiat; nec quidquam prohibiturum quin Turcæ, Europâ pulsi, gloriam maximorum hujus ætatis regum in æternum declarent.

Hæc est summa istius orationis, in quâ vividiorem quandoque impetum et quamdam asperitatem reprehendas; quod legentem inducit ut credat eam non ita fuisse pronuntiatam. Id etiam notandum Lascarem moribus et studiis hujus ætatis nimio plus indulsisse, quum plurima argu-

menta ex antiquitate depromit : Themistoclis, Cæsaris, Agesilai, Seleuci, Tamerlani, exempla affert, ut Franciscus liberetur. Cæterum ibi, quis fuerit Lascaris animus, quæ erga regem optime de se meritum gratia, non quem eventum oratio habuerit, considerandum est. Id et Lascari et Francisco regi æque honestum est, virum tam gravi senio confectum, maria trajecisse, periculа longinquæ legationis fortiter oppetiisse, ut nomine et famâ non minus quam eloquentiâ imperatorem ad clementiam, imo ad justitiam revocaret. Lascaris, qui mortis jam erat propinquus, litterarum renatarum exstinctionem ac perniciem jamjam contremuit. Nec tamen ita Deo visum. Satis enim diu vixit, ut meliorem rerum statum augurari posset ; et gymnasium istud Parisiense, quod tantâ diligentiâ condendum paraverat, creatum, humili quidem conditione, sed cum egregiis professoribus, Danesio et Budæo suis discipulis, vidit et admiratus est.

Neque otiosa fuit extrema nostri Lascaris senectus, et ad ultimam pene diem, eâdem animi alacritate, usus est. Etenim se Romam recepit, in securiorem et Galliâ, et Italiâ, per hæc tempora tam procellosa, seniori recessum (1). Ibi etiam inter amicos lites de litteris, ut fit, ortas, componere studebat, ut inter Portium et Budæum de asse. Ambo opusculum simul de eâdem re scripserant ; quisque sibi totam

1. Argumentum aliud habemus hujus improbi etiam tum laboris. Nam Lascaris Constantinopoli a se Florentiam advectum codicem turbatum, et alicubi temporum injuria depravatum, in eam quam nunc habet formam Clementis VII. P. M. jussu restituit (Bandinius catal. codd. græcorum, t. III, p. 55).

tribuebat gloriam et ab altero se furatum esse acerrime contendebat. Lascaris in longâ (a. 1528) ad Budæum epistolâ res altius repetit: vidit ipse (a. 1515), Leonardi Portii opus de asse sibi ab Antonio Marostica allatum: « Vidi postea librum tuum de asse celeberrimum, a te per chalcographos editum, et non multo post, librum Portii argumenti ejusdem, cujus erat quem pridem mihi idem Antonius ostenderat. Hoc est testimonium quod de hac re præbere possum, quodque jurejurando etiam confirmarem » (1). Ita ergo litem illam dirimit Lascaris, ut nihil dirimat et ambos adversarios indemnatos remittat. Frustra tonat Budæus, irritabilis, ut pote inter eruditos viros hujus ætatis, versatus. Lascaris in sententiâ suâ stat, nec quidquam vult mutare.

Reliquum est, ut de epigrammatibus ejus quorum exstat parvulum volumen aliquid afferamus. Sunt quædam litterario genere, qualia sunt epigrammata Græce scripta Homeri et Sophoclis præfationibus inserta; qualia sunt epigrammata in Ciceronem et Virgilium, quia de gente Græcâ non nihil minus honorifice loqui viderentur; quo nomine Lascaris a multis fuit exsibilatus, et ideo in auctorem versus et Græce et Latine a multis fuere compositi (2). Alia quædam ad amicos laudandos; ut Budæum vel Marcum Musurum, nec pauca ad celebrandos ejus patronos scripta sunt. Pleraque jam ætate provectus scripsit, ut Leonis X et Francisci I

1. Budæi opuscula varia f° 1557 p. 386-387.
2. V. Hodium op. cit. p. 273 et 274.

regis laudes ludicris versibus extolleret. Unum ibi notandum est exempli causâ :

Ad regem Franciscum arma offerentis

Quæ latus et dextram cava parma et curva bipennis
Armarant, Pharii principis arma trucis
Signa vides, sacrum calicem, floremque superne,
Nominaque in notulis hostica Agenoreis.
Lascaris hæc gessit, patriæque inferre parabat
Hostibus, auspiciis, inclyte Galle, tuis.
Fata obstant ; Francisce ; tuis sors invida cæptis
Quæsitum in Turcos abnuit imperium.
More igitur veterum, jam spe defectus et annis,
(Sic illi Marti), dedicat arma tibi.
Otia Musarum repetens, Rex optime, Graiis
Quæ tu, munificus, mollia, grata facis (1).

Hoc epigramma sine dubio Venetiis composuit circa A. 1520, quum sui memoriam revocandi apud regem, nullam occasionem omitteret. Itaque munusculum mittit non sine quâdam patriæ et Turcarum mentione (2). Est ibi salis et acuminis multum. Ista, quamvis tenuis et humillima poesis, homines tamen hujus ætatis ita delectavit, ut nemo inter litteratos viros citari possit, qui huic operi non indulserit. Hæc etiam duo de Lutetiâ et Galliâ nostrâ citare operæ pretium est : ubi nimis argutulas sententias fortasse reperias :

1. Lascaris epigrammata Parisiis 4° 1544 p. 17.
2. Budæus Lascaris nomine et munus et versiculos regi probavit (Bud epist. p. 90).

Lutetiæ nomem cænum non fecit; ab albo
Leucetiam, ut leucam, nomem habere scias (1).

Quoad originem nominis attinet, erravit Lascaris ; at ejus erga urbem nostram studium et animus omnino est laudandus. Alterum in Galliam filios minus agnoscentem :

Hanc statuit legem natura parentibus, ut sint
In sua proclives pignora quæque magis.
Gallia sola tamen, contemptâ lege, quibusvis
Mater es externis, sæva noverca, tuis (2).

Quod vitium nostris etiam temporibus reprehendendum sit. Sed hæc hactenus; Lascaris, ut coævus scriptor affirmavit, Latini et Græci lusus ex argutiis brevibus et veluti punctis, sunt plerumque subobscuri ac si non aspernandi sunt, non augent tamen viri nomen (3).

Post annum 1528 nulla fit Lascaris mentio : utrum Galliam an Venetias adierit, an Romæ substiterit in ambiguo est. De mortis tempore plurimi auctores contendunt. Certe non ante 1528, mortuus est; A. 1535 si Hodio et Bœrnero qui nullum argumentum hujus rei afferunt nonagenarius, et tanquam sui superstes, in Pauli III aulâ, podagrâ et articulari morbo confectus, obiit. (4). In æde Divæ Agathæ supra Suburram cum hoc epitaphio a se composito sepultus est :

1. Lasc. Epigramm, p. 16.
2. Id ibid. p. 20.
3. Vossius apud Hodium p. 272.
4. Freherus A. 1489 mortuum Lascarem dicit. Papadopulus Freherum emendaturus novo errore A. 1515 substituit. Baylio A. 1532 eum Romæ obiisse visum est; Gyraldus non ante 1535, Paulo III solium obtinente, vitâ functum esse affirmat (Bœrnerus op. citat. p. 210).

Λάσκαρις ἀλλοδαπῇ γαίῃ ἐνικάτθετο, γαίην
Οὔτε λίην ξείνην, ὦ ξένε, μεμφόμενος.
Ἔυρετο μειλιχίην. Ἀλλ' ἄχθεται, εἴπερ Ἀχαιοις
Οὐδ' ἔτι χοῦν χέυει πατρὶς ἐλευθέριον. (1)

Uxorem duxerat Catharinam quamdam, ut memorat aliud tetrastichon Græcum priori in tumulo subjectum. Cujus duos habuit forsitan filios : alterum Angelum Lascarem, cui Jacobus Tusanus Iani patris epigrammata a se edita dedicavit (2). Alterum Theodorum de quo apud Budæum nomen citatur, et qui codices quosdam manu scripsit (3). Sed de Lascaris familiâ, præter filium Angelum, nihil certum.

Tempus jam adest antequam nostro Lascari extremum valedicamus, ejus figuram paucis delineare. Omnium Græcorum qui, patriâ, Turcarum armis pulsi, in Italiam confugerunt, fuit fere nobilissimus ac doctissimus. Valetudine firmissimâ atque laboris tolerantissimus, diuturnam et prope nonagenarii vitam, totam in professione liberalium disciplinarum consumpsit. Sophistices et scholasticæ peritissimus, sed ejusdem hostis atque transfuga : theologiam a limine tantum salutavit, ut in tot tam diverso genere scriptis, vix quidquam reperias quod indicet quam denique religionem, Græcam vel Latinam sit professus. Poeta non in-

1. Hodius op. citat. p. 261.
2. « Reliquit autem nobis (Janus) Angelum Lascarem filium paternæ virtutis et eruditionis exemplum apud Parisinos. » J. Lascaris Epigrammata p. 1.
3. Hodius p. 274 et 275.

venustus, sicuti testantur epigrammata. In oratione solutâ, talis, ut inter optimos hujus ætatis scriptores in utrâque linguâ annumeretur. Et, quod in eruditis hujus sæculi viris rarum esse solet, fuit moribus adeo castis atque puris, ut non animus modo, sed aures ejus etiam ab omni turpitudinis commemoratione abhorruerint ; neque unum inter epigrammata reperias, quod pudicitiam lædat. Præterea moribus facillimis et ad omnem vitæ consuetudinem appositis, neque tamen ita, ut adulari nesciat. Fuit totus sui compos et liber : nec libidini deditus ; uxori, si diu conjunctus fuit, quod nescimus, at certe parum alligatus, ut nulla unquam familiæ in ejus operibus mentio fiat. Quanquam, injustum sit eum quasi negligentem familiæ effingere. Perpauca enim de ejus privatâ vitâ novimus. Et quoties apud Tusanum et Budæum filiorum nomen redit, ut arctâ familiaritate junctorum citatur. Non fuit admirator nimius pecuniæ, parcissimus quidem suorum, si Papadopulo fidem adhibemus, vel potius rei familiaris parum curiosus, si Jovio. Quæ quidem inter se non sunt prosus contraria. Est enim veri simile, Lascari qui alienâ liberalitate et annuis stipendiis pro publicis lectionibus aut legationibus vixit modo honestas facultates, modo victum humilem et pertenuem suppetiisse.

Firmissimus in amicitiâ fuit et cum plerisquə hujus sœculi clarissimis in Italiâ et in Galliâ viris arctissima familiaritate conjunctus. Marcum Musurum et Picum Mirandulam, Bembum et Sadoletum, Brixium et Janum Forestanum, ne dicam alios, celebravit interdum et semper dilexit.

Erasmo, mordacis et invidiosi quanquam ingenii, ita placuit, ut ab eo non semel laudatus (1), nec usquam nominatus « nisi cum honoris præfatione ». At neminem Budæo cariorem habuit, quocum quadraginta et amplius annos conjunctus, suavissimo et amicissimo litterarum commercio usus est (2).

Quod si summis placuisse principibus magna laus est, eam cumulatissimam habet Janus Lascaris; quo non Laurentius Medices solum, sed tres etiam Galliæ reges, Carolus VIII, Ludovicus XII, Franciscus I et duo papæ Leo X et Clemens VII mirifice sunt delectati, adeo ut consiliorum suorum participem eum fecerint et obeundas ei mandaverint legationes, et ad perficienda consilia, ipsius operâ vel extremâ senectute laborantis fuerint usi.

Desidiæ crimen quod P. Jovius movet, diluunt satis tot scripta et acta. Quis enim majora per totum hujus Sæculi ævum quod inter Bessarionem et Leonem X patet, in litteras, merita contulit? Ille amplificandis bibliothecis et Florentiæ, et Fonte Bellaqueo, omnibus viribus et diligentissimo studio operatus est. Alopæ Florentino bibliopolæ, Aldis apud Venetos, laborem strenuum et vigilias consecravit, codices ex oblivione et veterno trahens, vel corrigens, vel in Latinam linguam vertens, ut nulla fere ex pretiosissimis hujus temporis Græcis editionibus citari queat, cui Lascaris ma-

1. Morum comitate generis nobilitatem præ se fert, acri judicio vir, multæ in epigrammatibus argutiæ; poterat inter Ciceroniani cognominis candidatos numerari, ni crebræ legationes ac regum negotia revocassent hominem a Musis (Erasmi opp. in Ciceroniano t. I, p. 847).

2. Hodius, p. 268.

num non admoverit. Et in Galliâ Stephanorum familiam educavit, ad studia Græca promovit, artis typographicæ in Italiâ et Galliâ quasi patronus atque tutor. Quin Græcis instituendis collegium in Quirinali monte creavit, atque fovit et similem scholam in Galliâ creare cordi habuit. Quis denique aut editionum ejus, aut versionum, aut orationum, aut scriptorum cujusque generis materiam non dico laudare, sed attingere solum possit?

Jam crebras legationes obiit, quæ eum sæpius a Musis revocarunt; at iis carissimam sibi patriam ab impio Turcarum jugo se liberaturum esse confidebat. Sive enim totas Orientis regiones avidis oculis perlustraret, sive oratoris regii vices Venetiis expleret, sive Romæ ad genua Julii II, aut Leonis X, provolveretur, sive in Hispaniâ causam Francisci regis oraret, nusquam patriæ oblitus est. Ea semper obversabatur oculis; nihil antiquius habebat, quam ut Turcas ex Europæ et Asiæ finibus, totâ adjuvante Europâ, pelleret. In id totam vitam dedit; ad id multis sermonibus et orationibus ubique vel in epigrammatibus suis elaboravit, et cum poetâ dicere fas est:

... Si pergama dextrâ
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.

Quod si tamen Lascaris in diuturnâ quasi suæ vitæ legatione et negotiatione parum profecit, nihil mirum. Nusquam enim consistit: res dissimillimas disciplinarum studium et negotiorum publicorum curas miscet. Apud Venetos Fran-

corum regi et Aldinæ officinæ simul inservit; collegium suum in Quirinali monte relinquit, ut apud Franciscum regem Græciæ causam oret. Est inquies animo, semper novarum rerum avidus: semper nova aucupatur, in omnes vias sese proripit et mox regreditur, vanas umbras consectatus. Litteris simul atque rebus publicis sese tradit, umbratilem vitam, et aulicum vivendi genus juxta agens, dummodo aliquid semper agat, et in id præsertim usque ad extremam senectutem intentus, ut famam augeat, et nomen in ultimam posteritatem commendet.

Neque tamen ullum opus elocutione perfectum et ad unguem cœlatum reliquit, quod omnia temporis causa scripsit. Sunt ejus opuscula quasi bellatoria, et quæ cum certaminis æstu omnem jucunditatem deposuerunt. Et in acie plurimus miles mortem occumbit, cujus ne nomen quidem plerumque citatur. Item in litteris; bonæ litteræ, bonæ artes quasi faciem totius Europæ renovarunt. Renascentium disciplinarum causa vicit; hoc solum noverunt posteri; quibus artibus; quorum auspiciis vicerit, quid ad nos?

Nec merito; quærendum est quibus artificiis, quibus ducibus, spes melioris status Europæ illuxerit. Fuit Lascaris generoso animo; fuit bonis litteris et piis incæptis totus deditus; fuit, quamvis in humiliore ordine, fuit tanquam Bessario et Pius II papa, tanquam Erasmus, Bembus et Budæus, fuit ex his litteratis simul et negotiosis viris, qui, scribendo et agendo, utilissimam humanitati instaurandæ operam dederunt. Nobilissimâ stirpe ortus, nunquam tamen primas partes egit neque agere meritus est, et gloriæ ejus

fama aliis contigit et profuit. Dignus fuit tamen, cujus nomen ex oblivione erueremus, et in adeo grandi instauratarum litterarum scenâ, secundarum etiam partium actores minime sunt temnendi.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ. Paris. In Sorbonâ
A. D. XVIII Kal. Julias an. MDCCCLXXVIII
H. WALLON

Typis mandetur
Academiæ Parisiennis Rector
A. MOURIER

ERRATA

Pag.	5	lin.	7	pro	*sive*	lege	*sine*
—	8	—	25	—	*incertæ*	—	*insertæ*
—	10	—	19	—	*partibus*	—	*Partibus*
—	22	—	3	—	*opere*	—	*operæ*
—	23	—	15	—	*efficerent, cæterum*	—	*efficerent; cæterum*
—	28	—	18	—	*instituerint. Porro*	—	*instituerint. « Porro.*
—	43	—	1	—	*Latinæ*	—	*Latinæ*
—	57	—	10	—	*faciliori*	—	*faciliore*
—	60	—	13	—	(3) 2°	—	(3) ; 2°
—	*id.*	—	14	—	(4) 3°	—	(4) ; 3°
—	62	—	18	—	*vehentissimos*	—	*vehementissimos*
—	*id.*	—	23	—	*omnis*	—	*omni*
—	64	—	13	—	*Hujus ætatis cadit*	—	*hujus ætatis cadat*
—	66	—	14	—	*Sæculis*	—	*Sæculi*
—	68	—	4	—	*reges*	—	*rege*
—	70	—	9	—	*protectam*	—	*profectam*
—	73	—	22	—	*volu*	—	*volui*
—	74	—	7	—	*virgilitis*	—	*vigilitis*
—	75	—	31	—	175	—	195
—	76	—	10	—	*doctis*	—	*doctiss*
—	78	—	17	—	*perpevit aut as*	—	*pervenit aut a*
—	80	—	5	—	*talenti*	—	*talentis*
—	82	—	10	—	*et*	—	*e*
—	90	—	5	—	*amicissimâ. Lascaris*	—	*amicissimâ Lascaris*
—	93	—	6	—	*Bellaquæo*	—	*Bellaqueo*
—	96	—	14	—	*prudenti*	—	*prudente*
—	98	—	7	—	*dehine*	—	*dehino*
—	*id.*	—	15	—	*Sciptam*	—	*Scriptam*
—	*id.*	—	*ibid.*	—	*Francis ciregis*	—	*Francisci regis*
—	102	—	7	—	*Sævilt*	—	*Sævlit*
—	102	—	9	—	*æmulo*	—	*æmulo*
—	103	—	12	—	*exoptar*	—	*exoptat*
—	108	—	2	—	*nomem*	—	*nomen*
—	109	—	2	—	μεμφόμενος.	—	μεμφόμενος,
—	114	—	10	—	*Parisiennis*	—	*Parisiensis*

INDEX

	Pages.
PRÆFATIO	
CAP. I. — Lascaris adolescentia	13
CAP. II. — Lascaris Florentiæ apud Laurentium Medicem agit	22
CAP. III. — Lascaris in Galliâ et Venetiis	48
CAP. IV. — De Lascare Romæ apud Leonem X. P. M. morante	78
CAP. V. — Lascaris Franciscum regem in restituendis græcis disciplinis adjuvat	89
CAP. VI. — Lascaris senecta et mors	102

Imp. A. DERENNE, Mayenne. — Paris, boul. Saint-Michel, 52.

This preservation photocopy was made and hand bound at
BookLab, Inc., in compliance with copyright law.
The paper is Weyerhaeuser Cougar Opaque
Natural, which exceeds ANSI
Standard Z39.48-1984.
1993

3 2044 022 000 328